

Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai

1. Natalitia, Editio 2da.
2. Passionalia.
3. Paschalia.
4. Pentecostalia.
5. Michaelia.
6. Tractatus de Magicis Actionibus.
7. Tr. de Causa per Accidens.

Add 2

D. O. M. A.

PASSIONALIA

Hoc eſt,

De

PASSIONE

Dom: & Salvatoris noſtri JESU CHRISTI, Ejus Antecedentibus, Typis, figuris, Connexis, Conſeqventib: Effectis, & ſimilibus,


EXERCITATIO SCHOLASTICA ſingularis.

Varias quæſtiones Theologicas, Chronologicas, Hiſtoricas, Philologicas, ac ſimiles breviter & Scholaſticè evoluens ac repræſentans.

AUTHORE
HENRICO NICOLAI,
Phil. & Theolog. Apud Gedanenſes Profeſſore.

DANTISCI.
Typis Viduæ GEORGII RHETII exſcripta,
Anno à partu Virginis Matris
M. DC. XLVIII.

2.



PASSIONALIA.

Hoc est,

De Passione Domini & Salvatoris nostri Jesu Christi EXERCITATIO singularis.

Qvæstionum qvarundam brevem & Scholasticam elucidationem continens.

THESIS I.



Ost *Natalitia* Salvatoris Nostri discusſione Scholasticâ expensa succedente dierum in anno Ecclesiastico serie seqvuntur *Passionalia*, dies, qvibus *passio ejusdem & acerbi dolores nostri causâ in bonum nostrum exhausti in* Ecclesiâ resonant, & ad seriam meditationem inculcantur. Qvæ meditatio nec indecora Christianis, nec infructuosa esse potest. Qvòd si enim *in civilibus* ex alienis periculis nobis prudentiam conciliare fas & utile est, ac felix æstimatur, *qvicunq; dolore Alterius ducit posse carere suo, Ut Tibullus l. 4. eleg. 7.* canit: Cur non magis *in spiritualibus* ex magni illius ovium pastoris, *Heb. 13. v. 20.* exemplo usum aliqvem spiritualem decerpamus, qvo & ad veram pietatem, & seriam peccati agnitionem ac contritionem, qvod *nonnisi sanguine filii DEI* expiari potuit, & Christianam in adversis sufferentiam, & virtuosam *magni istius exempli imitationem*, & salutarem fidei exercitationem ac applicationem, ac Christianæ caritatis ferventem exsertionem exstimulemur? Verè enim *Veteres: Omnia nos Christi vita docere potest.* Nec minùs aptè de passione dixeris:

Omnia nos Christi passio dira docet. Inde & Sp. S. ad meditandam eam nos invitat, *Esai.* 43. *v.* 24. 25. *C.* 53. *v.* 3. *Seq. Matth.* 16. *v.* 21. *Marc.* 10. *v.* 33. *Joh.* 3. *v.* 14. *Seq. Act.* 2. *v.* 22. *Seq.* Et sensu tropologico ac anagogico *Tren.* 1. *v.* 12. Proprio enim de desolatione Hierusalem luctuq; indè concepto agit; *v.* 1. 2. *seq.* Et mandatis eò deducit, *Colos* 1. *v.* 22. 23. *C.* 2. *v.* 12. *seq.* 2. *Tim.* 2. *v.* 8. *Tit.* 2. *v.* 14. 15. 1. *Pet.* 1. *v.* 11. 12. 18. *C.* 4. *v.* 1. *Hebr.* 4. *v.* 14. 15. *C.* 12. *v.* 2. *seq.* *C.* 13. *v.* 13. Et exemplis allicit, 1. *Cor.* 2. *v.* 2. *Gal.* 2. *v.* 19. *seq.* *C.* 6. *v.* 14. Et comminationibus eò cogit, *Gal.* 5. *v.* 4. *Heb.* 2. *v.* 3. *seq.* *C.* 10. *v.* 26. *seq.* Et prolixa rei utilitas eò nos movere debet, qvæ *didactica, Elenchtica, informatoria, & correctoria* esse potest, & fines passionis ad id excitare debent, qvi peccatorum expiatio, Dei & hominum reconciliatio, pacis reductio, variorum donorum spiritualium acqvisitio, & exempli relicti subministratio sunt. Unde passio Christi *meritoria, acqvisitoria, applicatoria, & informatoria* esse diciq; solet. Ac eleganter pii Veteres: *In passione Domini, quâ salus datur homini, sit nostrum desiderium, & cordis refrigerium.* Cum ergò in Ecclesiâ hactenus pulpita de passione Christi resonuerint: non injuriâ & Scholasticè nonnulla de eâ in medium conferre profuerit. Ut fiat illud *Augustini*: *Crux morientis facta est cathedra docentis.*

2. Passio Christi *qvantum ad præcognitionem in tribus sit:* 1. *An fieri debuerit?* 2. *An verè & realiter facta?* 3. *Ubi considerandа?* Fieri debuisse negant *Judæi & semijudaisantes* qvidam. Sed contrarium ex typis & prophetiis V. T. de Mesiâ liqvet, qvæ *t.* 6. *seq.* discutientur. Verè factam negant *Turcæ* extra Ecclesiam, & Simonem Cyrenæum vel Iudam proditorem, ut alij, Christi loco passum delirant, Christo ipso ex oculis hominum subducto & evanescente, in *Alcorano Mahomet. l.* 1. *C.* 11. *V. Dionys. Carthusianum l.* 1. *con. Mahomet. c.* 4. *& l.* 2. *c.* 22. Qvod & *Basilides* olim asseruit, ut notat *Irenæus l.* 1. *c. hær: c.* 23. Itemq; varij *hæretici* in Ecclesiâ, qvi putatitiè factam ajunt, & in spectrum totam Passionis historiam commutant, Ut *Basilidiani, Cerdoniani, Manichæi*, præeunte *Fausto Manichæo* apud *Augustinum l.* 15. *c. Manich. T.* 6. *oper. Marcionitæ, Simoniani*, qvos allegavi *d.* 10. *dec.* 2. *Misc. t.* 12. Similiter *Apellitæ, Pontan. c.* 5. *Cat. hæret.* Qvodammodò etiam *Cerinthiani & Gnostici*, qvi in duas personas Christum diviserunt, Christum & Jesum, &

hunc

hunc qvidem passum concesserunt, illum ut essentiam spiritualem & impassibilem tempore passionis *à Jesu* evolasse dixerunt. *Idem c.* 14. *&* 25. Tempore *Ignatii* tales etiam fuerunt, qvi passionem negârunt, qvos multos ait, & fugiendos docet, Ut *in Natalit. t.* 4. allegavi. Ex Patribus *S. Hilario* simile qvid excidit, ut *t.* 33. constabit. *Judæi* qvanqvam Christum passum concedant, verum tamen Messiam pati & mori debuisse prorsus inficiantur, De qvo *t.* 11. 12. videbitur. Qvibus omnib. *partim Vaticinia V. T.* de passione Christi agentia, *t.* 6. *seq. Partim historiæ Evangelicæ & Ecclesiasticæ manifesta veritas, partim* ipsorum qvorundam Judæorum testimonium opponi debet, qvæ omnia verè passum Christum nostrum testantur. Ex *Reformatis* Nonnulli nobis imponunt, qvòd per hypotheses de Omnipræsentiâ Veritatem mortis Christi evertamus. *Sadeel d. Verit. hum. C.* 3. *arg.* 7. *Ursinus Catech. p.* 219. *Martinius con. Mentz. C.* 20. 21. *aliiq.* Sed diversi status exinanitionis & exaltationis, separationis naturalis & personalis, hic confunduntur. *V. t.* 58. Christum hominem passum, mortuum, & ad dextram Dei exaltatum demùm omnipræsentem esse dicimus, non in exinanitione fuisse affirmamus, qvorsùm mors & passio pertinent. Ut latiùs alibi docetur. *V. Tr. d. ess. alicubi, s.* 4. *t.* 85. *& Tr. d. multi præs. t.* 93. 98. *seq. Ubi autem & quot modis consideretur Christi passio,* porrò pervidendum. Spectari ea potest *ut* historia aliqva verè certo tempore gesta: Ita ad Historiam Evangelicam & Ecclesiasticam tanqvam pars ejus in eâ recensenda pertinet: *Vel ut* certi temporis æram & epocham suppeditat, qvæ æra passionis Christi dicatur, Ita ad Chronologiam pertineat: *Vel ut* certum thema accidentale singulare sufficit, qvod Logicè per convenientia sibi membra thematico ordine ac partitè tractari possit: Sic ad praxin & usum Logices pertineat. Sic in Logicâ Minore *Keckermanni* inter alia themata simplicia & thema passionis Christi tractatum reperitur, *in progymn. usus Logici, p.* 1. *C.* 1. *T.* 1. *Op. pag. mihi* 966. *Vel ut* materiam aliqvam variarum qvæstionum & circumstantiarum suggerit, ubi & Theologicè, & Philologicè, & Chronologicè ac Historicè nonnulla scitu digna & utilia de eâ ventilari possint. *Qvomodo* maximè hujus disceptationis objectum futura est.

3. *Præcognitione expeditâ,* Cum in nomine parum sit, qvod elucidati-

 cidati-

cidationem mereatur, cùm & passionis & Christi vox é Theologicis notissima sit, qvo sensu hic veniat, *ad realia ipsa* accedendum fuerit. Sed priusqvam fiat, *definitionem passionis Christi* præmittere necessarium erit, ut qvâ de re hic tractatio futura sit, in antecessum constet. Est nempe *Passio Christi passio destructiva, satisfactoria, prædicto à Prophetis tempore à Christo Deo homine & mediatore hominum in causâ salutis existente secundùm carnem expeditâ, quâ mundus totus redemptus, Deus peccatoribus conciliatus est, & salus ac spiritualia beneficia universa totaliter & plenariè sunt reducta. Genus proximum est passio satisfactoria. Passio*, est enim actionum ab agentibus variè incussarum receptio. DEus iratus Judex, peccata incitantia, Judæi & gentes torqventes, Judas prodens, Apostoli deserentes, Petrus abnegans, aliaq; agentium hic vicem sustinuerunt. Cumq; tota Christi vita nil nisi passio fuerit; hic specialiter tamen dolores circa ultimum vitæ à Christo perpessi, interni & externi, forinsecus & extrinsecus occupantes, ab hominibus vel spiritibus incussi, & similia intelliguntur, qvæ *famosè passionis Christi nomine* in sacris & Ecclesiâ venire solent. *Destructiva*, qvia destruxit subjectum, qvod affecit. Sic mors destructio hominis est. Ut distinguatur *à passione perfectivâ*, qvâ perficitur subjectum, ut doceri, erudiri, exornari. *Satisfactoria.* Passiones enim variæ sunt. Qvædam exemplares, qvædam pœnales, qvædam satisfactoriæ, qvib. aliis pro alio in causa aliqvâ interuentu pretii satisfit. Talem Christi passionem fuisse alibi contra *Photinianos* probatum. Aliæ etiam passiones invitæ & coactæ esse solent: Christi voluntaria fuit. Aliæ imperfectæ, Christi perfectissima: aliæ nocentes, Christi innocentissima, aliæ ignominiosæ, Christi gloriosissima, aliæ infructuosæ & interdum noxiæ, Christi fructuosissima & utilissima. *V. t. 1.* Et *ex sequentibus* ulteriùs hæc patebunt. *Cætera Verba ad differentiam* pertinent, & à subjecto, modo, & fine sunt sumpta, & *ex seqventib.* pleniorem explicationem habebunt.

4. *Definitione traditâ* ad ipsam passionem explicandam procedamus. In ea distinctè *tria membra* in thematis accidentalis singularis tractatione non postrema, pertractanda venient. *Antecedentia, Passio ipsa & Connexa ejus, & Consequentia.*

5. *Antecedentia Passionis sunt, quæ tempore passionem ipsam antecesserunt.*

ferunt. *Suntq́ Biblica & Ecclesiastica.* *Biblica*, qvæ in Biblico Codice expressa sunt. *Suntq́ vel Veteris, vel Novi Testamenti.* Ex veteri *prophetiæ, Typi, & historiæ nonnullæ* ad passionem, qvæq́ in eâ gesta, qvalemcunq́ adumbrationem habentes esse possunt.

6. Ex *Prophetiis primum est prima illa Evangelii promissio in Paradiso facta Gen. 3. v. 15. Ipse conteret tibi caput, & tu mordebis calcaneum ejus.* Ubi qværitur, *An de Messiâ illud agat? An de Christo intelligendum, & solo eo, non etiam Mariâ, Evâ, Ecclesiâ, fidelibus? An de passione rectè explicetur? Cur verbis prorsus metaphoricis conceptum sit: Et nusqviam in N. T. de Christo illud expresse explicatum & applicatum invenitur? Primum* negant *Iudæi*, & de communi hominum in serpentes odio agi existimant, Et ex Christianis Judæos in hoc seqventibus *Calvinus in c. 3. Gen. Sommerus l. 2. c. Carolin. c. 3. Confer & Smalcium c. Frantz. d. justif. d. 4. t. 3. 104. & d. 7. t. 49. Stegman. in probâ, c. 2. p. 175. aliosq́.* Verba ipsa allegorica, eoq́ obscura sunt, unde tanta *Patrum & Interpretum* varietas, ut *Lutherus in Gen. 3.* rectè observat. Sed de Messiâ hæc agere probat 1. *Paraphrasis Chaldaica Onkelos & Targum Hierosolymitanum*, magnæ apud Judæos authoritatis, qvi de Messiâ ejusq́ diebus explicant. *V. Helvic. T. 4. Gies. d. 7. t. 6.* 2. *Emphatica loquendi in subjecto & prædicato ratio*, Cum de mero homine naturaliter ex parentibus nato nusqvam Scriptura semen mulieris usurpet, minus contritionem capitis serpentis expressè & solitariè ei tribuat. 3. *Solatii necessitas* in primis parentibus. Nullum enim spirituale remedium & promissionem habuissent contra spiritualem comminationem, Morte morieris, *Gen. 2. v. 12* Qvâ omnis generis mors, qvæcunq́ in sacris mortis nomine venit, intelligitur, nec illa uspiam legatur. Et sic in terrore ac desperatione adversùs DEum relicti essent, qvod absurdum. 4. *Quia omnes* antediluviani Patres & seqventes usq; ad Abrahamum per annos 2000. promissione spirituali caruissent, adeoq́ fide verâ qvâ se in spiritualib. tentationibus contra Sathanàm ejusq́ tentationes in peccato armare ac erigere potuissent, cum nulli ante Abrahamum *Gen. 12. v. 2.* qvidqvam spiritualium, si hoc excipias, promissum legatur, Qvod etiam absurdum. 5. *Quia sensus* & gaudium Evæ *Gen. 4. v. 1.* ostendit, ultra naturalia eam verba hæc accepisse, & spiritualia iis intellecta fuisse censuisse, Etsi in supposito & individuo erraverit.

6. *Quia*

6. *Quia nulla* pœna spiritualis Diabolo in serpente primos parentes seducente, & in horribile apostasias crimen universos posteros implicaturum præcipitante, ob Sathanicum illud scelus inflicta esset, si hæc non esset, Qvod etiam incredibile. 7. *Quia Apostoli* in N. T. semen de Christo, serpentem de Sathanâ, contritionem capitis de destructione Operum Sathanæ interpretantur. *Act.* 3. *v.* 25. *Gal.* 3. *v.* 16. 1. *Ioh.* 3. *v.* 8. Et sic ad hoc dictum alludunt. 8. *Quia inimicitia* naturalis inter serpentem & hominem *nec universalis* ratione hominum est, cum multis hominibus serpentes innoxii fuerint, ut familiariter eos tractârint, ut Ophiuchi, Mauritani, Æthiopes, Indi, Tiberius Cæsar, aliiq́; *V. Scaligerum Ex.* 33. *f.* 3. *Ex.* 183. *f.* 3.4. *Ex.* 189. *f.* 4. *Hildebrandum l.* 1. *Mag. Nat. C.* 23. *Sueton. in Tiberio, C.* 72. *Nec ratione locorum*, cum multa terræ loca sint, qvæ serpentes & venenata non ferant. Ut Malta, Candia, Gaulan, aliæq́; Ut *Dec.* 2. *Misc. d.* 3. *t.* 20. allegavi, Imò maxima Orbis pars illis vacet, ut *Scalig. Ex* 33. *f.* 1. scribit: *Nec perpetua*, Cum sæpè in locis nunnullis desinere possit. At hic de tali inimicitiâ sermo, qvæ & Universalis, & perpetua insinuatur. Et qvi hic hostes dicuntur, semper hostiliter sibi repugnare intelliguntur. De spirituali ergò inter Christum & Sathanam odio intelligitur, non naturali serpentum & hominum. *Adde, quòd* si naturalis antipathia intelligatur, & in Adamo ac Evâ locum habuisset, & serpens illis contrarius naturâ fuisset. Semper enim eadem natura est, nec qvoad naturales sympathias aut antipathias rerum post lapsum immutata, etsi actus secundi ante lapsum â Deo inhibiti fuerint. *At hic novi quid, & quod post lapsum* demùm succedere debuit, prædicitur, non qvod ante lapsum in rerum Naturâ locum habuit.

7. *Quà secundum*, *De Christo* intelligi illud, 1. *Complementum* apertè docet. Destruxit n. opera Diaboli, 1. *Ioh.* 3. Et â Diabolo in calcaneum morsus est, j. e. in mortem adductus, sed eo non detentus, verùm tanqvam Victor inde reductus triumphum de Sathanâ eiusq́; portis egit. *Act.* 2. *v.* 31. *Seq. C.* 13. *v.* 34 *Seq. Ephes.* 1. *v.* 20. *Seq. Colos* 2. *v.* 15. Nec alius ostendi potest, Cui hæc æqvè competere possint, & in qvo vaticinia Prophetarum universa ita completa fuerint, ac in Christo nostro. 2. *Allegata Apostolorum* in N. T. ad hunc locum subinde respicientium & de Christo explicantium.

cantium *V. t. 6. & 9. De Christo a solo* intelligi ex *Papistis* qvidam negant, qvi הִי pro הוּ, ipsa pro ipse, legi posse volunt, ac *Mariam* Virginem adjungi posse censent, Ut *Pererius, Mersennus, Dietembergius & Lapide in C. 3. Gen. Bellarmin. l. 2. d. V. D. c. 12. Delrius l. 2. adag. sacror: Holzajus in Apolg. C. ult. t. 1. Seq. Gretserus T 1. def. Bell. l. 2. c. 12.* In Editione etiam Antuerpianâ An. 1572 sic legunt, ac in qvodam Codice Hebræo sic lectum *Bellarmin.* asserit *c. l* Ac qvædam exemplaria Hebræa sic legere ait *Lapide c. l. Aly de Evâ* intelligunt, ut *Patres nonnulli, ut Gregor. M. l. 1. Moral. Hugo in gloss. Gen. 3. Chrysostomus hom. 17. in Gen. aliiq.* Alii de fidelibus omnib. qvi in Christo & per eum Sathanæ caput conterant ut *Calvinus in Gen. 3. aliiq. Patres* interdum diversi hic sunt, ut ex *Mario Victore, Chrysostomo, Alcimo, aliisq.* constat. Aliena universa hæc. 1. *Semen* hoc de solo Christo explicant in N. T. Apostoli. *V. t. 6* Et de unico Individuo vocem seminis in sacris usurpari freqvens est. *V. Gen. 4. v. 25. C. 21. v. 12. 13. 2. Sam. 7. v. 12. Galat 3 v. 16. 19* 2. *De eo semine* hoc intelligitur, qvod Abrahæ in benedictionem promissum est. *Gen. 12. 18. 22. 26.* Et Davidi, *2. Sam. 7. v. 12. 1 Chron. 18. v. 12.* Sed hoc Christus est, & qvidem solus, *Gal. 3. v. 16. 19.* 3. *Exemplaria Hebræa* omnia הוּא legunt in Masculino, qvæcunq; vel â Judæis vel Christianis sunt edita, priusqvam corruptum illud An. 72. prodiit, qvod edentium vitio ita corruptum est. Nec ullum Hebræum exemplar ante suas editiones diversum ostendere possunt, nec Masora Hebræorum ullam diversitatem aut varietatem lectionum annotavit, ut *Lapide & Bellarmini* exemplaria fidem mereri non debeant. Et ex *Papistis* testatur ipse *Arias Montanus præf. Biblior. An* 1584. magnam exemplarium punctatorum & non punctatorum constantiam tàm in Vaticanà, qvàm cunctis Italiæ, Græciæ, Europæ, Asiæ, Africæ, publicis & privatis bibliothecis qvà Hebræum textum reperiri.

8. 4. *Antecedens*, qvorsùm τὸ הוּ respicit, est זֶרַע, semen, qvod Hebæis Masculinum est. Et pronomen ergò tale erit. Nec enallagen Pronominis Masculini cum verbo Masculino in singulari numero pro fœminino positi facilè ex sacris adducetur: Sed in plurali numero interdum enallages exempla invenias. *V. Bux-*

 torf.

torf. l. 2. thes. C. 10. 5. Consequens Verbum יְשׁוּפְךָ & verbũ תְּשׁוּפֶנּוּ etiam affixa masculina habent, ad qvæ pronomen הוּ respicit, ut eò fortiùs masculinum esse oportere conseqvens sit. 6. *In opere* Contritionis capitis serpentini nullus hominum Christo adjungitur, semper illi soli adscribitur. *Esai. 53. v. 4. seq. C. 63. v. 3. Dan. 9. v. 24. Rom. 8. v. 32. 34. 1. Ioh. 3. v. 8. Hebr. 2. v. 14. C. 9. v. 11 seq. C. 10. v. 5. seq. Apoc. 1. v. 5. C. 5. v. 9. C. 19. v. 15.* Nec frater fratrem redimere potest, *Psal. 49. v. 8.* Nec de fidelibus Scriptura ita loqvitur, qvòd caput serpentis conterant, qvod Deo tribuitur, *Rom: 16. v. 20.* Sed qvòd vincant eum & mundum. *1. Ioh. 2. v. 13. C. 5. v. 4. Apocal. 12. v. 11. C. 15. v. 2.* Et si semen de fidelibus explicandum esset, & Adam comprehenderetur. Fidelis n. At is semen mulieris non fuit, Cum mulier ex ipso, non ipse ex muliere factus. *Gen: 2. v. 22. 1. Tim: 2. v. 17.* Nec ergò de Mariâ, in qvantum fidelis est, id enunciari potest. *Nec* ob id contrivisse Sathanam dici potest, qvòd eum pepererit, qvi contrivit. Ad eam enim formam & Olympiadem Matrem Alexandri M. totum terrarum orbem subjugasse eiq; imperitasse dicam, qvia nempe pepererit eum, qvi subjugârit ac imperitârit. Alienè! 7. *Multi etiam Patrum & Papistarum* à Nobis hic sunt, & de solo Christo accipiunt, ut *Irenæus, Cyprianus, Hieronymus, Epiphanius, Augustinus, Theodoretus, Leo M. Rupertus, aliiq;. Ex Papistis Vatablus, Brugensis, Arias, Isiod. Clarius, Lovanienses, aliiq;.* De qvib. aliàs. Unde & de Evâ accipi non posse constat.

9. *Quà tertium*, De passione Christi dictum rectè accipi ostendit 1. *Loquendi modus* hic adhibitus cum aliis locis, ubi verborum similium explicatio occurrit, collatus. Nam & capitis emphasis, pro præcipuâ vi ac robore in sacris sumpta, qvæ hic peccatum est, *1. Co 15. v. 55.* Qvod Christus sustulit, *Esai: 53. v. 6. Dan: 9. v. 24. Rom 8. v. 3. Ephes. 2. v. 6. Colos: 2. v. 13. Hebr: 9. v. 26.* Et conterere significatio, qvâ pedib aliqvid comminuitur, qvod de Christo usurpatur, *Psal: 2. v. 9. Psal: 110. v. 5. 6.* ac totalis hostium deletio notatur, qvæ etiam Christi Sanguinis fusione peracta, *Dan: 9. c. l. Ose: 13. v. 14. Rom: 3. v. 25. 1. Cor: 15. v. 54. Col: 2. v. 13. 1. Ioh. 3. v. 8. Et ipsa res* hoc postulat, *V. t. 7. 8.* Ut & morsus calcanei allegorica interpretatio, qvâ variæ Sathanæ molitiones no-

santur. *V.* 1. *Pet.* 3. *v.* 8. *C.* 4. *v.* 1. *seq:* Et alibi latiùs deducitur. 2. *Antiquissimorum Interpretum Consensus*, Ut Targum Onkelos & Hierosolymitani, *V. t.* 6. qvæ Judæis opponenda. 3. *Apostolorum in N. T. ad hunc locum allusio. V. t. 6. Quà quartum*, Factum illud *partìm* ob Sathanam, ut perpetuo metu in mulieribus parientibus ille detineretur, ne aliqva semen illud proferret: *Partim* ob primos parentes, ut fides eorum & invocatio exerceretur, desiderium incitaretur, indagandi studium suscitaretur. *V.* 1 *Pet.* 1. *v.* 10. *Partim* ob ipsum Christum, cujus revelationi clarior lux reservata erat in N. T. ac Veteri, *Rom:* 16. *v.* 25. *Ephes:* 3. *v.* 9. 10. *Colos:* 1. *v.* 26. *Heb.* 1. *v.* 1. 2. *Quà Quintum*, Etsi dictum *Gen:* 3. allegatum in N. T. non reperiatur, freqventer tamen ad id allusum reperitur, qvoties Sathanas serpens dicitur, 2. *Cor:* 11. *Apoc.* 12. *&* 20 Seminis benedicti mentio fit, & Christus opera Sathanæ destruere dicitur, 1. *Ioh:* 3. Ut pluribus *dec.* 2. *Misc: d.* 6. *Coroll:* 4. docui. Nec omnia ad Verbum expressa esse in sacris necessum est. Sic nec *Dan:* 9. *v.* 24 ad Christum applicatum legitur, & tamen omninò de eo accipiendum, *t.* 13. *Conf. t.* 6. 8.

10. *Secundum vaticinium est Psal:* 22. *per totum*, ubi qværitur 1. *An de Messiâ & Christo agat, an potius de ejus typo, Davide, Mardochæo, quem Haman in crucem agere voluit, populo Iudaico, aut simili?* Ita sentiunt *Rabbini, Calvinus*, & *Rabbinisantes Christiani* qvidam. Sed *de Christo* intelligendum 1. *Complementum* historiæ passionis secundùm singula membra hoc Psalmo expressa, ut desertionem, manuum pedumq; perfossionem, opprobrii ultimi perpessionem, vestium divisionem, illusionem, ac miseram exclamationem, in Christum per totum qvadrans, apertè docet, nec ita universè Davidi, Mardochæo, aut Judæis unqvàm contigisse probari potest. Imò Evangelistam magis David hic egit, qvàm prophetam, adeò apertè rem describit. 2. *Authoritas* Veterum Hebræorum *in Midrasch Tillim in tit. hujus Psalmi, & in Psal:* 2. *v.* 7. qvam Judæi repudiare non possunt. 3. *Similium Prophetiarum* de Messiâ collatio, ut *Psal:* 31. 69. 21. 59. Ubi similia de Christo enuntiantur. Et Christum cervæ comparari ex *Cant.* 2. *v.* 9. 17. *C.* 8. *v.* 14. satis patet. Qvanqvam Hebræa verba variè ab interpretibus reddantur. 4. *Historiæ Evangelicæ* ad patientem Christum applicatio, & de eo explicatio.

catio. *Matt*: 27. *Marc*. 15. *Ioh*: 19. 2. *An Iudæi vocem caru v*. 16. *falsârint, & Caari, sicut leo, substituerint, ut eò meliùs explicationem de Christo declinarent?* Affirmant *Iacobus de Valentia, Canus, Lindanus, Huntlæus, aliiq;*. Negant *Origenes, Hieronymus, Driedo, Bellarminus, Gretserus, Sixtus Senensis, Erasmus, Ioh: Isaacus, Arias Montanus, Pagninus, Helvicus, Gerhardus, Glassius, alii*.

11. Et *rectius* hoc. Qvod probat 1. *Iudæorum* erga libros sacros, qvi ipsis concrediti, *Rom*: 3. *v*. 3. summa religiositas. *Philo* enim & *Iosephus l*. 1. *c*. *Appion*. usq; ad sua tempora per 2000 annos, ne verbum in lege Hebræorum mutatum esse ajunt, & qvemvis Judæum centies potiùs moriturum, qvàm ut legem in aliqvo mutari pateretur. *Isaacus c*. *Lindanum* testatur, jejunium ipsos indicere, si Codex Hebræus in terram decidat. Et in *Talmud* inexpiabile peccatum dicunt, si in Bibliis qvid mutetur, ac interitum mundi timendum, si unum in eo vocabulum mutetur. 2. *Rei ipsius impossibilitas*. *Vel* enim ante Christum corrupissent, qvod Christus & Apostoli nunqvam dissimulassent, qvi ad V. T. auditores ablegant, *Ioh*: 5. *Matt*: 22. *Luc*: 16. *Vel* post Christum at sic maximè dicta de Christo corrupissent, & sic ea hodiè ita in Hebræis non legerentur, ut ab Apostolis citantur. At leguntur eodem modo adhuc hodiè, excepto, ubi 70. Interp: interdùm seqvuntur Apostoli. 3. *Hoc in loco* varietas qvædam Codicum est, ut *Masoretæ* notârunt: Sed corruptio non est. Caru legendum & foderunt intelligendum esse, etsi Cari scribatur, & correctissima exemplaria docent, & Masora magna ac parva evincit, itemq; *R*. *Hadarsiban* attestatur, olim in omnibus Caru lectum fuisse. *Vel* Caru per Synæresin contractum & compositum esse ex Caru & ari potest, ac utrumq; significatum complecti, sicut leo foderunt, ut *Avenarius & Helvicus* censent, & *Chaldaica Paraphrasis* utrumq; jungit, qvam Judæi reijcere non possunt. Nec in sacris talis Synæresis inusitata est, *Ioh*: 33. *v*. 25 *Ezech*. 8. *v*. 16. *V*. *Helvic*. *vindic*. *Locor*: *p*. 18. *Seq*. *I*. *Martini l*. 3. *d*. 3. *Eloh*. *C*. 57. *aliosq;*.

12. *Tertium est Esai*: 53. *per totam*, ubi evidentissimè item passio Christi prædicitur. Qværitur 1. *An de Christo intelligendum sit? Iudæi* negant, & de populo Iudaico â gentibus afflicto intelligunt. *Semijudaisantes*, qvorum pomachus olim *Mart*. *Seidelius* fuit, qvi

Messi-

Messiam nec venisse, nec unqvam venturum esse docuit, de *Jeremiâ* prophetâ intelligunt. *V. l. Mart. l. 3. Eloh: C. 103.* Utriq; falsò. Ac de Christo intelligendum patet 1. *A complemento historiæ*, qvia nullus alius ostendi potest, in qvem omnium nostrum peccata conjecta sint, qvi dolores nostros portaverit, ob peccata nostra vulneratus & attritus sit, cujus languore sanati simus, qvi iniqvitatem non fecerit, &c. Nam de Judæis absurdissimè hæc dicuntur. 2. *Veteres Hebræi omnes* de Messiâ caput hoc exposuerunt, Ut *R. Ionathan Vzielis filius, R. Moses Hadarsan, Aben Ezra, R. Iose in l. Siphre, Liber Sanhedrin, Midrasch, Ruth, Tanchuma, Paraphrasis Chaldaica Ionathæ*, Et ex Neotericis *R. Salomon & R. Iudæ in l. Nezach Israel, aliiq;*, ut ex *Helvico T. 4. Gies: d 4. t. 43. d. 7. t. 2. Iac. Martini l. 3. Elohi. c. 52. aliisq;* constat. Imò *quidam iudæi* hoc solo ferè Esaiæ capite lecto ad Christianismum inclinare ceperunt, ut *c. l. ex Andradio & Helvico* narrat Idem *Martini.* 3. *Populus Iudaicus* est ægrotus, qvi sanari debet. Non ergò Medicus, cujus livore sanatus est, & qvi peccata ejus in se recepit. Et Iudæi afflicti & excisi sunt ob propria peccata, non nostra & aliena, Ut ipsi fatentur, cum caussam dilati adventus Messiæ assignant, Nec eorum pœnis nos sanatos esse, nec iniqvitates nullas ipsos fecisse, aut dolum nullum in ore eorum inventum fuisse, nisi impiè, dici potest. 4. *Nec de Ieremiâ* hæc dici possunt, Non n. ille dolores nostros portavit, nec livore ejus sanati sumus, nec cœtera ullo modo in eum qvadrant, nec per totam Esaiæ prophetiam ulla ejus mentio aut vestigium apparet. 5. *Apostolorum* in N. T. ad Christum applicatio & explicatio idem docet, *V. Ioh: 12. v. 38. Marc: 15. v. 28. Luc: 22. v. 37. Act: 28. v. 32. 35. 1. Pet: 2. v. 21. 22.* 2. *An satisfactoria Christi passio verè hinc adstruatur? Photiniani* negant. *Sed oppositum* ex emphasi omnium Verborum, ac aliorum locorum collatione satis patet, & *alibi* fusiùs deducitur. *Ac dum rem ipsam Verbis Scripturæ expressam teneamus, de termino satisfactionis* non facile lis aut molestia alicui creari debet, Ut *l. 2. d. fid. Christ: C 8* docebo. 3. *Qvomodo in Christum quadret v. 9. Sepultus est ut impius, & mortuus ut, dives*, cum inversim potiùs de eo dicendum, sepultus ut dives mortuus ut impius? De hoc *in Paschalibus, t. 21* dicturus sum.

13. *Quartum est Dan: 9. v. 26. Exscindetur Christus, & non amplius*

 erit.

erit, Ubi qværitur 1. *An de Christo hoc agat? Iudæi* negant, & ad Cyrum, Agrippam, Herodem, aut alium detorqvent. Sed de Christo intelligendum docent 1. *Nomina Christi*, *Messiæ*, *Ducis*, ab Angelo usurpata, qvæ certum est Christo nostro â Prophetis imponi, eiq; competiisse, *V. Psal:* 45. *v.* 8. *Esai:* 55. *v.* 3. *Ezech.* 34. *v.* 24. *Mich:* 5. *v.* 2. *Matt.* 2. *v.* 16. 2. *Attributa de eo enuntiata*, ut Consummare prævaricationem, obsignare peccatum, expiare iniqvitates, implere visiones & prophetias, æternam justitiam adducere, & sanctum Sanctorum esse, qvæ de nullo mortalium enuntiari possunt, Nec Iudæi qvenqvam adducere possunt, de qvo *verè* ista omnia dicantur, si Christum nostrum excipias. 3. *Etiam occisio Christi* & post eam secutura dissipatio populi Iudaici & sanctuarii ejus hic prædicta, & in eventu apertissimè in Christo impleta, ac Chronologica temporis distributio & assignatio id docent, finem enim ista omnia in Christi morte habuerunt, nec in qvo aliàs habeant, â Iudæis ullus ostendi potest, Et eventum omnibus â Daniele prædictis jam tùm respondisse inviti fateri coguntur Iudæi, ac apertâ rei experientiâ convincuntur. 4. *Ipsi antiqui Rabbini* apertè de Messiâ explicant, Ut *R. Gerundensis, Berachias, Moses Hadarsan, Levi, Oseias, Samuel, aliiq. V. Helvicum d.* 7. *c. l. t.* 3. *Galatinum l.* 4. *d. arcan. C.* 10. Imò Hebræi inter Hagiographa, non Prophetas, retulerunt Danielem, qvòd nimis manifestè de Christo *C.* 9. vaticinatus esset, qvod testimonium ipsi potius expunctum vellent, ut memorat *Fabricius in part: Hebræis, c.* 19. *& Gerhardus harm: Evang: C.* 160. E. de Messiâ & Christo eum agere omninò censuerunt.

14. 2. *Unde initium & finis 70. hebdomadum Danielis ducendus?* Hic ingens pelagus difficultatum, & authorum mira varietas. *Hebræi* ab initio Darii Medi vel excidio templi primi, *Alii* â 20. anno Artaxerxis, *Lyra* ab anno 5. Zedekiæ, *Alii* ab anno 7 Darii Longimani, *alii* â 2. Darii Nothi, *alii* aliunde inchoant. Videantur *Chronologi. Tutissimum* est, ab anno 2. Darii Nothi incipere. Tùm enim & verè sermo exiit non hominis tantùm, sed *ipsius Iehovæ* de reædificando templo & Urbe per Prophetas, *Hagæum, & Zacchariam*, jussusq; est Zorobabel ædificare templum Domini, *Hag:* 1. *v.* 2. *seq: Zach:* 1. *v.* 16. *C.* 2. *v.* 2. *C.* 4. *v.* 7. 9. *C.* 8. *v.* 9. 10. *Esdr:* 5. *v.* 1. *Et ipso* facto executioni mandatum est istud, qvod sermone dictum, ac-

tuq;

tuç ædificari ceptum eſt, *Hag:* 1. *v.* 14. *Zacch:* 4. *v.* 9. *Esdr:* 5. *v.* 2.
Et ipſius Darii Regis edictum efficax, ac quod ſucceſſum habuit, ut ædificatio tota ſubſequeretur, acceſſit, *Esdre* 6. *v.* 6. 7. 15. 12. 14.
Cum priora Regum edicta variè impedirentur, ac ab anno 1. Cyri usç ad 2. Darij per 46. annos ædificatio impedita fuerit, *Esdræ* 4. *v.* 24 Qui fortè 46 iſti anni ſunt, de quibus Judæi *Joh.* 2. *v.* 20. intelligendi, quod 46. annis templum ædificatum fuerit; niſi de *Herodis* inſtaurato templo id fortè accipere velis: *Et* ab iſto anno usç ad mortem Chriſti præciſè 69. ſeptimanæ ſunt, quas Angelus determinat ad exciſionem Chriſti, *v.* 16. Vt unica ſeptimana ſuperſit, 7. annis poſt aſcenſionem Chriſti continuanda, quâ *&* fœdus Chriſti confirmatum, *&* ſacrificia Judaica finem *&* complementum nacta, *Et* Evangelium per Apoſtolos publicè per Orbem annuntiatum, miraculis infinitis ac inauditis confirmatum, multa millia Judæorum & gentium ad Chriſtum converſa, & in medio ſeptimanæ hujus, h. e. annis 3. poſt aſcenſionem Chriſti ſacrificium & oblatio ſublata, Apoſtoli enim *in publico Concilio leges Moſaicas abrogârunt*, ac gentes & Judæos liberos ab earum obligatione eſſe conſtituerunt, *Act.* 15. *v.* 23 Hæc abrogatio Ceremoniarum eſt primaria, & hic intelligenda; Et verbum domini primaria hujus abrogationis cauſa: Qvæ per Titum & Romanos facta, vicaria & ſecundaria, & poſt 70 ſeptimanas in excidio Hieroſolymorum demum contigit, *Dan:* 9. *v.* 26. 27. Ut finis 70. hebdomadarum *in* 7. *annum poſt aſcenſionem Chriſti* incidat, & iſto tempore omnia ea, de qvibus ibi angelus partitè per tria membra, 7 hebdomadas, & 62. & unam, diſſerit, ac cuivis determinatè ſua in eventuris tribuit, contigerint. Neç enim cum *Scaligero* fortuita diviſio & ſine ratione poſita eſſe cenſenda eſt cum diſtinctè angelus cuivis periodo ſua aſſignet, qvæ in eo eventura eſſent, Velut *primæ*, urbis & templi reædificationem, *ſecundæ* Chriſti paſſionem & mortem, *tertiæ* fœderis confirmationem & ſacrificiorum Judæicorum abolitionem, *Quibus elapſi ultimam ac totalem Judæorum* & Reipublicæ eorum exciſionem per Romanos inferendam, & in perpetuum duraturam ſubjungit. Quæ *diſtinctè* ita per ſingulas periodos eveniſſe hiſtoriæ complementum evidentiſſimè docet.

15. 3. *Quid exciſione v.* 26. *notetur?* Paſſio & mors Chriſti, qvâ ex ter-

ex terrâ viventium excisus est, *Esai.* 53. v. 8. Et pro peccato animam suam posuit, v. 10. Ut Messiam moriturum esse clarum hic contra Judæos sit testimonium. Id ut eludant, verbum כָּרַת præscindere & abscindere notare ajunt, non exscindere aut occidere. Sed abscindere, cum de viventibus rebus sumitur, nil aliud est, qvàm occidere, evertere, rumpere. Sic animam corpori abscindere, vitam aut vitæ filum præsecare, & hac vitâ tollere & exscindere est. Sic qvi ovem, bovem, gallum, dicit præcisum, occisum & â cæteris resectum dicit. Sic 1. *Reg:* 18. v. 5. Non faciamus excidere de animali, h. e. perire occidi, Et v. 4. Isabel fecit excidere Prophetas Domini, h. e occidit & interemit eos, v. 13. Sic *Psal:* 109 v. 13. 15. *Esai:* 10. v. 7. C. 48. v. 19. *Ierem:* 11. v. 19. C. 44. v. 7. 8. 11. C. 48. v. 2. Et passim. Seqventia etiam Verba idem attestantur, Et non ipsi, sc. residui qvidqvam erit. Sic enim de mortuis Scriptura loqvi solet, qvod non ipsi, sc. ampliùs sint. *V. Psal:* 39. v. 14. *Ierem:* 31. v. 15. C. 49. v. 10. *Thren:* 5. v. 7. *Sirat:* 17. v. 28. *Matt:* 2. v. 18 Qvanqvam *alii* ita interpretari malunt, Et non ei sc. qvidqvam nocebit vel prævalebit ista occisio, ut Iudæi volebant. *V. Psal:* 16 v. 10 *Et Paschalia.*
4. *Quomodo post 62. septimanas Christus excisus?* Junctis nempe 7. prioribus, & sic universim post 69. septimanas, in primâ parte & anno 70 septimanæ successit passio Christi. A 2 enim *anno Darii Nothi* lapsæ sunt 7. septimanæ, h. e. 49 anni, qvibus templum & urbs ædificata. Deinde 62. septimanæ, h. e. 434. anni, qvibus varia gesta Monarchiæ tertiæ sub Antiochis, Ptolemæis, & aliis evenerunt, aliqva etiam pars Monarchiæ 4 decurrit, & anni vitæ Christi 34. simul sunt includendi, Christusq; interea natus, educatus, & ministerio docendi defunctus est. Elapsis 62. septimanis & 7. prioribus additis, h. e. 483. annis, tot enim faciunt istæ septimanæ, ac 434. cum 49. juncti totidem faciunt, Christus excindetur, & non amplius erit. Hoc primo anno 70. septimanæ factû, qvo passus Christus, mortuus, in cœlos ascendit, Spiritum S in festo Pentecostes visibiliter misit, Seqventibus 6. annis Cursus Evangelii summâ vi per universum Orbem sparsus, multa hominum millia ad Christum conversa, donec 2. post ascensionem Christi anno 70. septimanæ totum finem suum nactæ sunt. Hæc *Vaticinia tanquam principalia*, de passione sufficiant. Sunt & alia permulta, Ut *Psal:* 8. *Psal:* 110.

Esai:

Esai: 50. v. 4. *C.* 63. v. 1. *seq: Zach.* 9. v. 10. *C.* 11. v. 10. *seq: C.* 12. v. 10. *C.* 13. v. 7. Qvem locum de qvovis pastore cum *Calvino in harm: f.* 338. intelligere, disertæ Christi allegationi *Matt:* 26. v. 31. & ipsius Prophetæ locutioni, qvâ de Viro, non Viris, Pastore, non Pastoribus, tali, qvi Deo cohærens & proximus sit, h. e qvi apud DEum in principio ut unigenitus â Patre filius fuerit, *Joh:* 1. v. 1. 18. & qvem singulariter *suum pastorem* DEus vocat, qvod de qvovis pastore dici non potest, apertè contrariatur. *Quidam* etiam *Psal:* 96. v. 10. ad Passionem Christi accommodant, & *Regnavit Dominus â ligno*, legunt, Ut ad crucem Christi respiciatur, Ut *Justinus, Tertullianus, Augustinus, Schindlerus, Lindanus, aliiq;*. Sed *in Hebræo* tantùm est, Regnavit Dominus: Ligni nec mentio, nec expressio est. Item *illud Micch:* 5. v. 1. *In Virgâ percutient maxillam Judicis Jsrael*. Sed sensu literali de injuriis & calamitatibus *etiam Regi Jsraelitarum* ab hostibus inferendis agit, qvâ contumeliosissimè ipsum tractaturi essent: *Tropico & allegorico* sensu ad Christum patientem accommodari potest. Verùm prolixitatis ergò omitti possunt.

16. Sic *Vaticinia ex Veteri Test.* fuerunt. Seqvuntur *typi*, qvi talia gesta sunt, ut ad Christum figuram habuisse, *& accommodari debere ex intento ipsius Spiritus S. constent*, ut ab eo ad Christum applicentur, aut applicari posse ostendantur. Ubi talia non sunt, ut de intento Sp. S. ex sacris constet, ibi *typi propriè dicti* ad Christum non sunt, etsi qvaliscunq; rerum cum Christo analogia intercedat, Et interdum *latissimè typi* vocare soleant. Typica n. explicatio nulla aut incerta est, qvam se intendisse author nuspiam expressit, Ut *alibi* docetur. Qvapropter hæc rectiùs historias ac gesta qvædam appellabimus, & in istâ serie postea nonnulla recensebimus. *E typis primus passionis Christi est Pascha s. agnus paschalis Jsraelitarum, Exod:* 12. v. 3. *seq?* Qvem Christi passi ac torti typum fuisse ex intentione & applicatione Spiritus S. *Joh:* 19. v. 36. 1. *Cor:* 5. v. 7. 1. *Pet:* 1. v. 19. *Apoc:* 5. v. 6. 12. *C.* 7. v. 17. *C.* 13. v. 8. *C.* 14. v. 1. patet. *Ut agnum* hic oportebat sumi, non hircum, capram, aut simile qvid: Sic & Christus verus Dei agnus fuit, *Joh:* 1. v. 29. 36. Verum pascha pro nobis immolatum, 1. *Cor:* 5. v. 7. *Ut agnus* qvâ externam speciem humile & abjectum est animal, sed usu tàm insigne, ut omnibus suis membris utile sit, & nihil rejectanei habeat: Sic & Christus

qvâ externam speciem vilis & contemptus fuit, *Esai:* 53. *v.* 2. Sed spirituali usu ita fœcundus, ut nihil inutile vel in seipso, vel in suis membris patiatur, omnia spiritualiter in illis sint utilissima. *Vt agnus Paschalis* immaculatus & perfectus, masculus, anniculus, è grege promiscuo agnorum & hædorum sumendus, ante immolationem aliqvot diebus è grege segregandus, in memoriam liberationis ex Ægyto mactandus, assandus, comedendus ad noctem erat, & sanguine ejus postes ædium inungendi erant, ut angelus occisor præteriret: Ita in Christo *similia* ostendi possunt. De qvo *Balduinum in Pass: Typicâ, & Homileticos* Scriptores vide. *Vt os* nullum agno Paschali frangendum: Sic nec Christo. *Joh:* 19. *v.* 36. Et qvæ similia sunt.

17. *Secundus typus est hircus sacrificatorius & emissarius, Lev:* 16. ad qvem Scriptura in N. T. alludit, *Heb:* 9. *v.* 7. 8. *seq:* Unde typus esse intelligitur. *Vt Hircus* animal mundum & sacrificiis aptum est, etsi fœtore ingratum, acutissimo auditu & magnâ patientiâ præditum, dux & antecessor sui gregis, sanguine suo adamanti adversatur eumq; emollit, & ad sanguinis excretiones utile medicamen suppeditat, serum ejus aliæq; partes præcipuas in Medicinâ utilitates continent: *Sic Christus* verè mundus, *Heb:* 7. *v.* 26. vereq; & solus ad spiritualen hostiam coram Deo idoneus est, etsi in similitudine carnis peccati venerit, *Rom:* 8. *v.* 3. & cum peccatoribus tanqvam & ipse peccato fœtidus, reputatus sit: Acutissimè audit *& verba exterius, & sensa interius,* patientiæ exemplo aliisq; virtutibus nobis præit, 1. *Pet:* 2. *v.* 21. *C.* 4. *v.* 1. *seq:* tanqvam author & Consummator fidei nostræ, *Heb:* 12. *v.* 2. *c.* 6. *v.* 20. Sanguisq; ejus adamantinas inferni portas frangit, *Heb:* 9. *v.* 13. 14 *seq:* Et ad Spirituales morbos universos passio Christi præsens & efficaciâ, & exemplo medicamen est. *V. t.* 1. *Vnus hircus* mactabatur, alter in desertum peccata universi populi deportans emittebatur: *Sic Christus* qvâ carnem pro nobis immolatus, qvâ Deitatem liber dimissus est. In cruce mactatus, in resurrectione vivus, & liber manifestatus, in effectuq; passionis omnia peccata è conspectu Dei abstulit, & in profundum maris deiecit. &c.

18. *Tertium* faciunt *omnia sacrificia Levitica ad passionem Christi respicientia,* ut iterùm ex N. T. allegatione patet, *Heb:* 8. 9. 10. Ut sacri-

sacrificia originem & institutionem â Deo habebant, *Lev: 1. 2. seq:* Naturæ & rationi modus iste colendi DEum ignotus erat, in certo loco ad tabernaculum expediebantur, *Exod: 20. v. 24.* Ex pecoribus certis, & divino jussu constitutis constabant, qvoad materiam & formam varia erant, semper mincham ex farinâ, oleo, pane, & thure additam habebant, *Lev: 11. v. 1. seq:* melle, & fermento carebant, salem omnia habebant, sanguine eorum altaria adspergebantur, cœlitùs delapso igne incendebantur, qvi perpetuò in altari servabatur, *Lev: 6. v. 12.* Typicè & ceremonialiter peccata expiabant, & homines â peccatis mundabant, *Heb: 9. v. 9. 10. 13. C. 10. v. 2. 3.* Sic Christus â Deo constitutus est Mediator Dei & hominum, non seipsum eò ingessit, *Heb: 5. v. 4. 5. C. 10. v. 5. seq:* Mysteria ejus, Incarnatio, passio, redemptio, rationi incognita & absona sunt, *1. Cor: 1. v. 18. seq: Vt Tract: d. Not: nat.* dictum, In Ecclesiâ Judaicâ passus est, & in eo populo, cui DEus legem & testimonia sua commiserat, *Luc: 13. v. 33.* Perfectus Sanctusq; Dei agnus est, *Heb: 7. v. 26. 27. 1. Pet: 1. v. 19.* Beneficia morte suâ paravit numero plura, & pondere gravissima: Immolatus in cruce perpetuus fidelium Cibus ac potus est, qvo spiritualiter enutriuntur, *Joh: 6. v. 33. seq: C. 4. v. 14.* Ejus sanguine, non brutorum, verè â peccatis emundamur, Et qvæ *similia* hic, qvæ multis *Epistola ad Hebræos* deducit. Cœlesti consilio traditus ac passus est, non humano arbitrio, *Act 2. v. 23. C. 4. v. 28.* Ejusq; sanguis verum illud coram Deo propitiatorium est, *Heb: 9. v. 14. C. 10. v. 4. Apoc: 1. v. 5. Rom: 3. v. 25.*

19. *Quartum facit serpens æneus â Mose jussu Dei in deserto erectus*, ut *partim* divinæ iræ signum, *partim* â serpentib: percussorum remedium esset, qvo sanitati fideli ejus aspectu restituerentur. *Num 21. v. 8. 9.* Typum passi Christi esse ex allegatione *Joh: 3. v. 14.* patet. Collationis membra varia esse possunt. *Vt serpens* ex occasione peccati Israelitarum erectus: Sic Christus ob peccata nostra carne indutus & in crucem actus est. Secus nec in carnem venire, nec mortem subire necessum fuisset. *Vt* â Mose populi duce remedium ostensum: Sic â solo Christo ejusq; morte contra Sathanæ morsus remedium. *Vt* serpens vilis & despectus ab extra, efficax & pretiosus ab intra, veneno in se carebat, sed in percussis illud tollebat, ex ære erat, metallo diuturnissimo & tinnitu acutissimo, ac in con-

ſpectu omnium ſuſpenſus erat: Sic in Chriſto ſimilia. *Quintum Jonas Propheta* ſuppeditat, ut ex applicatione Chriſti *Matt*: 12. *v*. 39. 40. *C*. 16. *v*. 4. *Luc*: 11. *v*. 29. 30. patet. *Ut* ille Propheta è Judæis ortus, â Deo ad prædicandum miſsus erat, primùm muneris difficultatem horrebat, ultimò illud in ſe ſuſcipiebat, â balæna deglutiebatur, ſed juſsu Dei iterùm vivus ejiciebatur: *Sic* Chriſtus ex Judæis ortus, *Rom*: 9. & miniſter Circumciſionis ad prædicandum miſsus eſt, *Eſai*. 61. *Rom*: 15. *v*. 8. Naturæ appetitu primò mortem horruit, poſtea lubens eam ſubivit, & ſe totum Patri ſubjecit, *t*. 32. A morte ad tempus abſorptus eſt, ſed teneri eâ non potuit, verùm vincendo ſuperavit, *Act*: 2. *v*. 24. Et qvæ ſimilia. *Sextum Simſon* variis factis repræſentat, & typum Chriſti fuisſe ex intentione Sp:S. *Matt*: 1. *v*. 23. ad Simſonis hiſtoriam alludentis patet. Analogia in ortu, progresſu, fortitudine, Philiſtæis hoſtibus, exitu & ſeqventibus exitum, varia esſe poteſt, Ut in *Natalitiis t*. 7. tactum, ac pleniùs *a ibi* deducitur. *Septimum Adamus* facit, qvi ex collatione Pauli *Rom*: 5 *v*. 12. *ſeq*: & 1. *Cor*: 15. *v*. 21. 22. 45. 47. typus Chriſti colligitur. Analogia ratione ortus, ſtipitis & radicis, efficaciæ, dignitatis, ſanctitatis, lapſus cum lapſu Petri collati, varia in utroq; reperiri poteſt.

20. Sic *Typi* fuerunt. Seqvuntur *Hiſtoriæ nonnullæ, quæ ad pasſionem Chriſti analogiam aliquam habuerunt. Tales ſunt*, *Abelis* in agrum eductio, & â Caino interfectio, *Iſaacus* â patre in ſacrificium immolandus, *Joſephus* â propriis fratrib: captus & venditus, *Aaronis* ingresſus in ſanctuarium, & ingresſus Chriſti in Hieroſolymam & cœlum, *Abitophelis* ſuſpendium cum Judæ ſuſpendio collatum, *Jeremias* à Judæis & ſacerdotibus captus, accuſatus, damnatus, interficiendus, *ſomnus Adami* cum morte Chriſti collatus, *propitiatorium*, redemptio posſesſionis venditæ, *funiculus Rahab* liberationis & conſervationis index, ſignum *Tau* in fronte gementium, *Ezech*: 9. etiam liberationis indicium, & qvæ ſimilia, qvæ latiùs *alibi* deducta videas. De Iſaaco *in Paſchalib*. *t*. 12. aliqvid vide.

21. Sic *Antecedentia Pasſionis ex V. T. fuerunt. Sequuntur ex Novo. Hæc remotiora & propiora esſe posſunt. Remotiora*, qvæ toto Miniſterii Chriſti tempore geſta ſunt. Ut, prædicatio Evangelii, Miracula varia, Apoſtolorum misſio & electio, ac remotior pasſionis prædictio

ctio, *Matt:* 12. v. 39. 40. C. 16. v. 21. C. 17. v. 22. 23. *Marc:* 8. v. 9. *Luc:* 9. v. 22. *Propiora, quæ non ita diu ante passionem contigerunt.* Qvalia Christi ad iter Hierosolymitanum præparatio, Lazari suscitatio, in Bethania Convivatio & unctio, super urbe illacrymatio, in urbem ipsam ingressio, templi repurgatio, & varia de variis collocutio ac disceptatio, de qvibus latè *Matt:* 21. 22. 23. *seq: Mar:* 11. 12. 13. *Luc:* 18. 19. 20. 21. *Ioh:* 11. 12. videri potest. *Varia de his move i possunt. Vt, Cur pretioso unguento se ungi Christus passus fuerit, Cum* ingens delitiarum mundanarum contemptor & summè humilis esset? *An Maria* ungens peccatrix illa fuerit, Cujus apud *Lucam c.* 7. v. 37. mentio? De hoc *Corollario dec.* 3. *Misce: d.* 6. dixi. *Quale* unguentum pisticum fuerit, qvo unxit? *An Pisticum* Nomen proprium pro Opisticum, ab Opis oppido ad Babylonem, an appellativum â πιςις πιςικὸς, fidelis, probatus, sincerus, ut *Casaubonus ex.* 14 *s.* 13. *& Toletus in C.* 12. *Ioh: n.* 1. *aliiq;* volunt? Cur vehi in urbem, non ire, & Cur asinis præcisè, an alternis super asina & pullo, an hoc aut asinâ tantum sederit? *Matthæus* pluraliter loqvitur, C. 21. Quasi super utrisq; sederit. *Marcus c.* 11. *Lucas c.* 19. *Et Iohan: C.* 12. super pullum sedisse ajunt. *Zaccbariæ* prophetia utrumq; connectit, & â Christo factum credibile est, ac vox חֲמוֹר tàm asinum, qvàm asinam notat, Ut *Exod:* 13. v. 13. non illum tantùm, Ut *Calixtus & alii* volunt. Et *similia, quæ alibi* tradenda.

22. *Proxima Passionis Antecedentia sunt, qvæ inprimis propinquè & biduo circiter passionem præcesserunt. Talia sunt* proxima & ultima instantis passionis prædictio, *Matt:* 26. v. 2. Sacerdotum de Christo sine tumultu interficiendo consultatio, v. 3. Judæ de prodendo Christo cum Pharisæis pactio, Ultimi Paschatis comestio, pedum discipulorum ablutio, Cœnæ institutio, cum Judâ collocutio & â scelere ejus dehortatio, Contentionis Apostolicæ de primatu compositio, negationis Petrinæ prædictio, de spirituali armatura exhortatio, discipulorum Consolatio, & qvæ *similia* sunt.

23. De his *sequentia* qværi possunt. 1. *Cur toties Christus passionem prædixerit, Cum res tristis & discipulis ingrata esset, qui ea in validum mœrorem c. njiciebantur. Matt:* 17. v. 23.? *Partìm* ut ratione sui Omniscientiam, promptitudinem, & officii excellentiam demonstraret: *Partìm* ut ratione Apostolorum prophetiarum passionibus

Mesſiæ eò freqventiùs admonerentur, regni Chriſti conditionem apertius intelligerent, qvod ſpirituale illud, non carnale futurum, & claſsicum iſtum de mundano Mesſiæ regno etiam Apoſtolis tenaciſsimè inhærente errore, *Matt:* 20. v. 21. *Marc:* 10. v. 37. *ſeq. Luc.* 22. v. 24. *ſeq: Act:* 1. v. 9. validiùs eximeret, ac ſe eum eſſe oſtenderet, in qvo finem omnium Prophetarum vaticinia haberent, *Luc:* 22. v. 37. Ad patiendum intenſiùs Chriſti exemplo Apoſtoli ſtimularentur, à qvo caro vehementer aliàs abhorret, à tragici exempli ſcandalo meliùs præmonerentur, ſpontè ſe mortem ſubire doceret, & hoc Paſcha divinitùs pasſioni ſuæ deſtinatum eſſe oſtenderet. 2. *Quomodo poſt biduum paſcha futurum dicitur, Matt:* 26. v. 2. *Cum ſequente ſtatim die ad veſperam celebrandum fuerit?* Nempe biduum fuit, incluſo eo die, quo iſta loqvebatur Chriſtus. Seqvente die circa veſperam Paſcha ſecutum fuit, v. 17. 20. Ut poſt biduum hic idem ſit, ac veſperâ ſecundi diei, Qvomodo לי poſt interdùm pro ſeqvente aut ejus fine ſumitur, & qvod tùm factum, poſt illud factum dicitur. *Deut:* 14. v. 28. *Matt:* 27. v. 63. *Marc:* 8. v. 31. *Luc:* 2. v. 46. 3. *Cur præciſè biduo ante pasſionem hæc prædixit Chriſtus, non triduo aut quatriduo? Vel*, qvia ſic placuit, nec omnium divinorum ſpecialis & exacta à nobis reddi poteſt ratio: *Vel*, qvia bidui obſervatione, cum prædicta evenire viderent Apoſtoli, etiam de reſurrectione poſt triduum futurâ, qvam ſæpiùs prædixerat, certitudinem ſumere debebant, eamq; adeò firmiter credere, ac pasſionem ipſam impleri animadverterent. 4. *Quale Paſcha intelligatur, an legitimum & Moſaicum, an Iudaicum & prorogatum, an anticipatum & 13. lunâ celebratum? Et an Chriſtus legitimum Paſcha celebraverit, Iudæi illegitimum, & ex Conſtitutionib: ſuis in ſequentem diem dilatum?* Intricata & variis ſententiis ſubjecta qvæſtio, ac Naturâ ſui *magis Philologica aut Hiſtorica, quàm Theologica.* Etſi poſtea inter Romanos & Græcos qvæſtio de fide per mutuas contentiones evaſerit, ut verè *Caſaubonus ex.* 15. *c. Baron:* ſ. 12. *Græci* Chriſtum verum Paſcha anticipaſſe, & die præcedente celebraſſe ajunt, Ut in fermentato Cœnam celebraſſe conficiant. Ut *Xanthopulus, Cedrenus, Petrus Alexandrinus, Origenes etiam, Chryſoſtomus, Theophylactus, Euthymius, Epiphanius, aliiq;*. Sed non licuit ſine azymis Paſcha ullum comedere, nec Judæi ullum aliter celebraſſe leguntur, *Exod:* 12. v. 15. *C.* 23. v. 15.

Et *Lu-*

Et *Lucas* notanter dicit, venisse *diem azymorum*, in qvo Pascha occidi necessum fuerit, *C. 22. v. 7.* Ut celebrationem agni Paschalis eo die â Christo peractam legi conformem fuisse arguat, non anticipatam. *Alii* negant, translationes istas festorum tempore Christi jam viguisse, & longè recentiores esse, ac post ascensionem Christi demùm introductas. *Bellarm: l. 4. d. Euchar: c. 7. 8. Serarius in c. 5. Iosue q. 30. A Lapide in c. 23. Lev: v. 15. 16. Toletus in c. 13. Ioh: Baronius in Annalib. T. 1. an. 34. n. 25. 34. Barradius in harm: Suaretz, Thomas, Abulensis, Cochus ap. Cloppenburch epist: ad L. à Dieu p. 13. aliiq.* Sed ante Christum tempore secundi templi sub *Seleucidis* jam obtinuisse ex *Paulo Burgensi, Munstero, Middelburgensi, Lucido, Onuphrio, Panuinio, Maldonato, Scaligero, aliisq; ostendit Casaubon. c. l. t. 13. 14. 21.* Ac communis opinio est, & ex *Papistis Maldonatus in c. 26. Matt: v. 2.* eam concedit.

24. *Alij* eadem die cum Judæis Christum Pascha celebrasse ajunt, Ut *idem Bellarm: & reliqui* cum *Alcuino & Gersone. Itemq; Lapide in c. 26. Matt: v. 17. Cloppenburch c. l.* Et communiter hoc factum fuisse concedi potest, non enim singulis annis ista Paschæ translatio occurrebat, sed tùm modo, cum Pascha proximè ante sabbathum incurreret, qvod tempore passionis Christi factum. Hoc autem tempore alio die Christum, alio Judæos Pascha celebrasse apertè patet *Ioh:* 18. *v.* 28. Cum Christus captus ad prætorium ductus est, jam comederat Pascha, *Matt:* 26. *v.* 17. 20. Sed Judæi nondum comederant, *Ioh: c. l.* Alius ergò dies fuit. *Confer C. 13. v.* 1. 29. *C.* 19. *v.* 14. & *Marc:* 15. *v.* 42. *Luc:* 23. *v.* 54. 56. Ex qvibus patet, parasceven & prosabbathum Paschatis Judæorum tùm fuisse, cum Christus crucifixus, & seqvente die demùm Pascha Judæorum celebratum, cum Christus præcedente die suum jam celebrasset. *Rectiùs ergò respondetur, Christum verum & Mosaicum Pascha die* 14. *Nisan sub vesperam comedisse*, Judæos a. in 15. diem ad vesperam prorogasse, qvo & Pascha & Sabbathum septimanæ ordinarium concurrerint, sicq; festum duplici solennitate sacrum fuerit. Qvod fortè involvere voluit Sp. S. cum diem illum Sabbathi *magnum* fuisse dicit, *Ioh:* 19. *v.* 31. *Sed cur non super singularitate hac Christum inter cætera accusârint Iudæi, undecunq; diffamandi ejus occasionem arripientes,* ultrà hic qværi possit. *Causæ* variæ esse possunt, Ut *alibi* dicetur.

cetur. *Casauboni* rationes confutantem Vide *Cloppenburch c. l. p. 40. seq: Plura de* hac qvæstione *ap. citatos authores, ut & Maldonatum, à Lapide, & Pareum in C. 26. Matt: Gerhardum T. 4. L. Com: d. agno Pasch: t. 39. & C. 166. harm: Evang: p. 1077. seq: Scharfium Symphon: p. 331. Suaretz T. 3. in p. 3. Thom: q. 73. a. 5. d. 41. s. 1. alios@* vide. 5. *Cur post manducatum Pascha demùm Cœnam instituerit, non ante illud?* Ut ceremoniis V. T. finem se imponere ostenderet, & abrogatis illis alia instituta successura moneret, numero paucissima, observatu facilima, significato augustissima. *Decuit* etiam, ut *typus* agni præiret veritatem mystici Eucharistiæ symboli, in qvo agni antitypum participandum, & ut *ultimum memoriale morituri ultimo loco institueretur.* Et solebant Judæi manducationi Paschatis aliud epulum subjungere, ut *partim* esurientes ampliùs adhuc reficerentur, cum numerosa familia esu unius agni saturari non posset: *partim* de utilibus commonefactionibus diutiùs inter se convivæ colloqverentur. Hoc & *Christus* imitatus, & Cænæ instituendæ occasio data est.

25. 6. *An & hospitem domus, in quâ Pascha manducavit, Paschæ comestioni adhibuerit Christus?* Evangelistæ tantùm discipulorum mentionem faciunt, *Matt: 26. v.* 18. 20. *Marc:* 14. *v.* 14. 17. *Luc:* 22. *v.* 11. 14. *Credibile* tamen est, admissum fuisse, etsi non Cœnæ institutioni. Videtur enim fidelis Christiq; familiaris ac discipulus fuisse, qvòd tàm promptè jussa Christi capesserit, domum concesserit, mensam straverit, pericula omnia hic extimescenda superârit, eaq; loqvendi formâ legati utantur, *Matt: 26. v.* 13. *Marc:* 14. *v.* 14. *quâ* apud Christi familiares uti solent, *Ioh:* 11. *v.* 28. *C.* 13. *v.* 13. Et ex lege Christum pascha comedere sciebat, itaq; magis cum Christo secundùm legem Pascha celebrare, qvàm cum Judæis contra eam agere voluisse probabile est: Ac aliàs hospitem mensâ, qvam stravit, excludere velle incivile, eoq; parùm de Christo præsumibile est. 7. *Quis & qualis iste hospes fuerit, Et Cur non nomine à Christo expressus, sed indiciis tantùm insinuatus? Prius* incertum est, & tacēte Scriptura frustra inqvirendum. Qvæ *Patres & Ecclesiastici quidam Scriptores* hic habent, non minùs incerta sunt, & conjecturis tantùm nixa. *Posterioris* ratio esse potest, Cùm, ut omniscientiam suam Christus ita declararet: Tùm ut fidem Apo-
stolorum

stolorum exploraret, & contra scandalum crucis animos præmuniret. 8. *Quæ & qualis domus fuerit, in quâ Pascha Christus comedit? An* publicum & commune diversorium, ut vult *Pererius*, *an* Johannis Evangelistæ, Ut *Nicephorus, Cedrenus, Proculus, Cyrillus, Salmeron, An* Simonis leprosi, an Mariæ matris Johannis, Josephi, aut Nicodemi, ut *alij*? Et hoc incertum, nec curiosè inqvirendum. 9. *An & Judas Paschati interfuerit? Negare Hilarium Can: 30. in Matt: Maldonatus in c. 26. Matt: v. 20.* docet. Sed *Hilarius de Cœnæ institutione* propriè loquitur, non agno Paschali. Ac numerus Apostolorum duodenarius, *Matt: 26. v. 20. Marc: 14. Luc: 22.* buccellæ â Christo porrectio, & cum Judâ proditore collocutio *Luc: 22. Joh: 13.* apertè contrarium evincunt, & interfuisse docent. 10. *An & Cœnæ interfuerit? Hoc ex Joh. 13. v. 30.* negari possit, & *Clementi l. 5. c. 16. ac Innocentio l. 4. de myst: alt. c. 13. Hilario, Ruperto Tuitiensi, Theophilacto, Ex Pontif: Turriano, Barradio, Salmeroni, aliisq;* sic visum est, ac *â Reformatis plerisq;* defenditur, Ut manducatio indignorum eò promptiùs negetur. *Contrarium è Lucâ c. 22. v. 21. 22.* patere qveat, unde *alij* ordinem sumere malunt, Cum *Matthæus & Johannes* ὑστερολογικῶς qvædam enarrent, & ea, qvæ *Joh: 13. v. 21. seq:* narrantur, Cœnâ demùm peractâ facta sint, Ut hic ex *Lucâ* patet. *Nox* etiam fuit, cum Judas egressus, *v. 30. Cœna* autem vesperi, mensâ nondùm remotâ, peracta. Et *credibile*, specialem Judæ manifestationem buccellâ datâ, de qvâ *Johannes*, post Pascha & Cœnam contigisse, cum *antea* generaliter tantùm eam descripsisset Christus, Nec materiam novam exasperandi eum per remotionem â Cœnâ Christû ipsi dare voluisse probabile est, Cum Sathanæ instinctu satis in Magistrum inflammatus esset. Ex *Reformatis etiam Taffin l. 3. d. pœn. c. 8. n. 21. VVittakerus tr: d. Script: q. 6. c. 12. Calvinus l. 4. Instit: c. 17. n. 34. Beza, Martyr, Bucerus, Gualterus, Bullingerus, Snecanus, aliiq;* interfuisse eum concedunt. *Pareus* incertam hanc rem dicit, nec magnoperè referre putat, an interfuerit nec ne, *in epist. ad Meuschium præfationi harm: Evan. Meuschy præmissa. Patres* etiam plerìq;, *Cyprianus, Chrysostomus, Hieronymus, Augustinus, Leo, Dionysius, aliiq;* id affirmant. Et *Pontificiis Bellarminus, Baronius, Jansenius, Pererius, Maldonatus, Thomas, â Lapide, aliiq;* idem asserunt. *Mihi* res tota incerta videtur, Ut *alibi* fortè tradetur, in *Tr. de Communione sanctorum*

C. 5. t. 39. Et Lucæ hysterologiæ non inusitatæ sunt, *Luc: 4. v. 8. Cum Matth: 4. v. 10. Et v. 31. Ac C. 5. v. 10.* Cum *Marc: 1. v. 21. Et C. 8. v. 19.* Cum *Matt: 12. v. 46.* A libiq; . Ut & hic tale qvid contingere qveat.

26. 11. *Cur indicat Christus eum se scire, nec tamen nominat?* Ut pœnitendi occasionem daret, ad resipiscendum stimularet, & non invitum, circumventum, ac non opinantem, sed scientem volentemq; ista passurum se esse ostenderet, Cum consilio proditoris cognito facilè impedire illud posset, nec tamen vellet: *Honori etiam Judæ* ex benignitate parceret, *si & isto modo in viam reduci posset,* non violentiùs eum irritaret. 12. *An sedendo ad mensam, an recumbendo, Cœna peracta?* Pascha ipsum stans, vel ad legem *Exod: 12. v. 11.* edisse videtur, sed Cœnam vulgarem Paschali subjectam accumbendo, *Joh: 13. v. 2.* Unde surrexisse, rursusq; accubuisse dicitur, *v. 4. 12.* Qvia nempe hoc diuturniùs actum, ac stare, Unde simpliciter accubuisse dicitur, cùm ex antiqvissimo Variarum gentium usu, tùm ex proprio *Judæorum* more, qvi jacebant inter epulas. Unde *Johannes* in sinu Jesu recubuisse dicitur, *Ioh: 13. v. 23. 25. Conf: Casaubon. ex: 16. c. Baron. n. 22. 23.* Varia aliàs de Cœnâ ejusq; Verbis & sensu qværuntur, sed qvæ ob prolixitatem aliò sunt differenda. 13. *An Cœnâ peractâ statim hymnus dictus, an prolixa Christi Oratio & collocutio, Ioh: 13. 14. 15. 16. 17. descripta intercesserit, & tùm demùm hymnus dictus, ac ad Montem olivarum secesserit Christus? Sic Baronius in Annal. & Iansenius c. 138. Concord: aliiq;* volunt. *Probabilius contrarium.* Esus Paschæ hymno apud Judæos claudi solet. Credibile ergò, post Cænam proximè Paschati junctum hymnum subsecutum. Eo peracto voluisse Christû exire: Varios tamen priùs sermones cum discipulis habuisse, quibus & mœstos solatus est, & doctrinâ eos informauit, & infirmos confirmavit, & contentionem sedavit, ac ardentem tandem orationem pro fidelibus ad Patrem fusis, separatus, ut videtur, ab Apostolis, sic n. in graviore oratione solus orare solitus est, *Luc. 6. v. 12. Matt. 26. v. 39.* Post hæc tandem exiit, *Iohan. 18. v. 1.* 14. *Cur tumultum timuerunt Pharisæi, ne in festo Christus caperetur aut occideretur?* Quia in tanto hominum ad festum concursu *multi* esse potuerunt, qui in Christum crederent, eumq; è periculo liberare vellent, & tumultu *concitato*

in ip-

in ipsos fortè Pharisæos & sacerdotes irruituri, eosq; è medio sublaturi essent, nec ut Paschatis festo, quo in lætitiam festi alij scelerati interdum liberari solebant, Christus innocens occideretur, passuri essent. Ita sæpè aliàs metu populi, ne in ipsos irrueret, à Christo violando abstinuerunt, *Matt:* 21. *v.* 46. *Marc:* 11. *v.* 18. *C.* 12. *v.* 12. *Luc.* 20. *v.* 19.

27. 15. *Quantum faciant 30. argentei, quos Pharisæi Judæ in proditionis pretium promiserunt, Matt:* 26. *v.* 15. Variæ hic sententiæ. Qvidam argenteum librâ argenti, alii 10. Coronatis, alii 300. denariis, ut pretio argenti â Juda appetiti æqvipolleret, *Marc:* 14. *v.* 5. Alii aliter æstimant. Tutissimè dicitur, *dimidium Imperialem* nostræ monetæ circiter valuisse, Ut summa 15. Imperial. fuerit, qvâ Christus venditus. Nam & moneta tractabilis fuit argenteus, non massa rudis & intractabilis, qvalis libra argenti: *Et* siclo æqvalis fuit, qvi duplex, Civilis & sacer, qvi dimidio Imperiali nostro par, ut *communiter* sentitur, quamvis alii negent, Ut *alibi* dicetur: *Sacrum autem adhibitum* Sacerdotum tractatio, Doctoris venditio, & discipuli proditio, qvæ sacrarum personarum omnia erant, docent. Atq; *hoc vilium mancipiorum erat pretium, quo ipsa æstimabantur, Exod:* 21. *v.* 32. Ut Christus tanqvam vile mancipium venditus fuerit. Unde & ipse apud *Zachariã* de vilitate pretii, qvo æstimatus fuerit, conqveritur, *c.* 11. *v.* 13. Sic Abimelech 1000. argent: dat, *Gen:* 20. *v.* 16. Qvæ nimis magna sũma pro tali regulo, si 10. Coronatos aut 1. librã unus penderet. Sic *Micha* 10. argenteis Levitã conduxit, *Iudic:* 17. *v.* 10. Qvod pro homine privato incredibile, si 10. Coronatos unus valeret. *Dices: Non licuit agrũ pro* 15. *Imperialib: emere, quod tamen factum Matthæus testatur c.* 27. *v.* 7. ℞. Tùm temporis licuit, Etsi hodiè aucto rerum pretio vix liceat. Sic *Ieremias* 7. siclis & 10. argenteis agrum emit, *Ierem:* 32. *v.* 9. Et fortassè ager iste figuli indè dictus, qvòd figulus testas fictiles in eam projecerit, & sic sterilem reddiderit, ac sic vili pretio ad peregrinorum sepulturam emi potuerit. 16. *Pedum lotio an ante Eucharistiam institutam contigerit, an post eam? Cyprianus* præmittit. *Osiander* & alii etiam Paschæ esui præmittunt. Commodissimè Paschali & vulgari Cœnâ finitâ ante Eucharistiæ institutionem peracta dicitur. Hoc enim historiæ Johannis, 13. *v.* 2. Et iteratæ sessioni, *v.* 12. ac mysterio spiritualis ablutionis ma-

ximè ante Eucharistiam reqvirendæ significando v. 8. insinuato, eleganter congruit.

28. 17. *Quomodo post offulam Sathanas in Iudam ingressus dicatur, Ioh. 13. v. 27. Cum jam ante Sathanæ mancipium & ipse diabolus esset, v. 2. Et C. 6. v. 70.? Quia* pleniore dominio & intimiore possessione eum invasit, jumenti instar eum egit, ad nefaria violentiùs adegit, Ut eum buccellæ traditione specialiùs & individualiter se cœteris manifestatum videret, firmissimo animi proposito destinatum scelus exeqvi cogitaret, nullisq; monitis, minis, aut mediis inde se averti pati vellet. 18. *Quomodo tunc Christus glorificatus dici potest, cum Iudas ad prodendum eum exiit? Ioh: 13. v. 31. Quidam* de mystico Christi Corpore Apostolorum accipiunt: *Alij* glorificationis Christi in extremo judicio præfigurationem, *alij* justitiæ & Veritatis demonstrationem, *alij* aliud intelligunt. Simplicissimè passio & mors, eamq; secuta resurrectio, asscensio, & ad dextram Dei consessio intelligi dicitur, *Joh*: 17. v. 1. *Luc*: 24. v. 26. Qvæ omnia fieri ceperunt, Cum Judas prodere aggressus est. Scriptura autem de rebus modò instantibus velut de præsentibus, ac velut jam essent, loqvi solet. *Via enim ad gloriam proditio & passio Christo fuit.* Sic si strenuus belli dux instante jam prælio diceret, Nunc verè immortalem gloriam conseqvor, qvòd ex eâ pugnâ se illam consecuturam speraret, & de victoriâ certus esset. 19. *Contentio Apostolorum Luc: 22. v. 24. an eadem cum eâ, quæ Matt: 20. v. 25. Marc: 10. v. 41. descripta, Ex unde occasionem sumpserit?* Ita *Maldonatus in c. 22. Luc. Rectiùs contrariũ sentitur.* Nam *illa Matt: & Marci* ante ingressum in Jerusalẽ contigit, Ut historiæ series ostendit: *Hæc a. post ingressum*, nocte illâ, qva traditus est, ut ex *Lucâ* patet. *Illa* in via ad Hierusalem, *hæc* in Cœnaculo in Urbe. *Illa* ex petitione filiorum Zebedæi, *hæc* ex glorificationis mentione cepta. Illa proprii exempli adductione, hæc ingentis promissi propositione composita. Orta autem est ex glorificationis mentione, *Joh*: 13. v. 31. 32. Post qvam secuta. Qvam Apostoli mundanam & mundani regni censebant, indeq; de prærogativâ contendebant. Valdeq; intempestiva fuit ista contentio, *partim* ratione contendentium Apostolorum, *partim* componentis Christi, *partim* materiæ & objecti, formæ & modi, originis & causæ impulsivæ, *partim* loci & temporis, qvæ planè alia reqvirebant.

29. Pos-

29. *Possunt & longè plura* hic quæri. Veluti, *Quomodo* Christus spiritu turbatus fuerit? *Joh:* 13. *v.* 21. *An* prædictio negationis Petrinæ *Luc:* 22. *v.* 34. eadem sit cum prædictione *Joh:* 13. *v.* 38. & *Matt:* 26. *v.* 34. *Marc:* 14. *v.* 30. descripta, an diversa? *Quomodo* Christum in passione solicite Apostoli qværiverint, *Joh:* 13. *v.* 33. Cum potiùs deserverint eum & fugerint? *Marc:* 14. *v.* 50. *Quomodo* iidem non cum Christo eò ire posse dicantur, *Joh:* 13. *v.* 33. Cum mortales essent, & mori possent? *Quomodo* Christus se non ampliùs de genimine vitis bibiturum dicat, cum certum sit, post resurrectionem ipsum cum Apostolis comedisse & bibisse? *Ultima Christi Concio Joh:* 14. 15. 16. 17. *an in Urbe, plateis, aut extra urbem in via habita? Cur* Patris appellatione toties in ultimâ Oratione Christus sit usus? *An hortus,* in qvem post ultimam Orationem Christus se contulit, ad radices montis Oliveti situs fuerit, an cis torrentem & urbi vicinus? Ut vult *Rupertus. An* prædictio de scandalo, *Matt.* 26. *v.* 31. & *Marc:* 14. *v.* 27. eadem sit cum *Luc:* 22 *v.* 31. 32. & *Joh:* 16. *v.* 32. an diversa? Et qvæ hic *alia, alibi* discutienda.

30. Sic *Antecedentia Passionis Biblica* fuerunt: Succedunt *Ecclesiastica,* qvæ ex historiâ Ecclesiasticâ aut *Romanâ* desumuntur. *Talia* sunt, *Quòd* anno ante passionem Christi circiter *Seianus* magnæ authoritatis apud Romanos, ut & sacra illi fierent, & per fortunam ejus jurarent, & infesto Judæis animo, ut & gentem exscindere cogitarit, Unde varia in eam Crimina confinxit, de statu suo deturbatus, in carcerem conjectus, capite mulctatus, in Gemonias tractus, & post triduum in Tiberim projectus est. Liberi ejus occisi, & filia à Carnifice priùs constuprata. *Causa* odij in Judæos putatur, qvòd ipsi statuam non locarent, nec colerent. Qvomodo de Syriacis legionib. *Suetonius in Tiberio, C.* 48. *ait, solas Syriacas legiones nullam Seiani imaginem inter signa coluisse.*

31. Ita *Antecedentia Passionis* fuerunt. Seqvitur *Passio ipsa cum Connexis suis.* Ea spectatur *in realibus & verbalibus. Realibus,* ubi res ac gesta qvædam eorumq; modi & attributa considerantur. *Talia in triplicia* dividi possunt. *Ea,* qvæ Christus passus *in ará terreâ* id est, horto: *Quæ in lapideâ,* j. e. in prætorio & judicio Ecclesiastico ac Politico, in domo summi sacerdotis & Pilati: *Et quæ in ligneâ* j. e. cruce & loco supplicii. Ut ad triplex altare jussu Dei à Mose ere-

 ctum.

ctum, *terreum*, *lapideum*, & *ligneum*, *Exod:* 20. *v.* 24 25. *C.* 30, *v.* 1. Qvod ad Christi passionem præfigurationem habuit, alludatur et respiciatur.

32. *Quæ in horto passus est*, seqventia sunt. Angor summus & cum morte conflictatio, Conditionata mortis deprecatio, sanguinei sudoris destillatio, somnolenta discipulorum incuria, fuga, & desertio, Judæ proditio, à militibus captivatio, & ad sacerdotem abductio. De qvibus *sequentia* qværuntur. 1. *Quomodo Christus mortem deprecatus sit, cum volens eam in se receperit, eamq; subjerit, Hebr:* 10. *v.* 7. 9. *Quidam* Veterum non timore mortis, sed vel adversarii provocatione, vel in personâ nostrâ deprecatum esse putant, Ut *Epiphanius in Ancorat. Athanasius serm. d. pass. Dom. Hieronymus in c.* 26. *Matt: Hilarius l.* 10. *de Trinit. Augustinus in Psal:* 2. *aliiq;*. Sed verba tristandi, angendi, agonizandi, & sudor sanguineus per summum angorem expressus, realem timorem fuisse docent: Ac ut homo, naturaliter refugit mortem, quomodo omnes destructionem nostram naturaliter horremus. Sensus etiam iræ divinæ, maledictio legis, pondus nostrorum peccatorum, & horror inferni, dolores istos & angores concitaverunt. Factus n. est nostri gratiâ maledictum, *Gal:* 3. *v.* 13. Et peccatum, 2. *Cor:* 5. *v.* 21. Et ut mediator est, lubens mortem in se recepit, unde & totum se divinæ voluntati subjecit. 2. *Quomodo cum Christi voluntate Dei voluntas concordet, quæ mortem omninò volebat?* Qvia non absolutè & simpliciter mortem deprecatur, sed sub condicione, si possibile sit, & voluntatem suam divinæ voluntati plenè conformat, Ut nulla inter eas sit adversitas, sed qvædam saltem diversitas. *Vt pluribus dec:* 2. *Miscell. dis.* 6. *Coroll.* 2. *docui.* 3. *Qualis villa & hortus Gethsemani fuerit?* Qvidam Gansemini vocant, Ut *Arias Mont. in c.* 26. *Matth:* Sed Evangelistæ Gethsemane appellant. Dicta est vel velut pecuaria butyri; vel vallis pinguium: Et pagus ad radices montis Oliveti situs hortis ac viridariis consitus fuit. Ac convenienter *passionis initium in horto ceptum*, qvia prævaricationis initium in horto commissum, *Gen:* 3. *v.* 1. 4. *Cur propiùs receperit Petrum, Iacobum & Iohannem, exclusis aut remotis cæteris Apostolis?* Ex *Papistis* qvidam *Petrum* ob fidei feruorem, *Iohannem* ob virginitatis decorem, & *Iacobum* ob martyrij honorem selectos tradunt, ut *Lyranus in C.* 17. *Matt:* Sed vestigium in sacris

de his

de his non est. Et qvantus fidei in Petro feruor fuerit, trina abnegatio postea docet. Ratio esse potest, *Vel* qvòd præ cœteris Christo hi cari essent, *Ioh:* 13. v. 23. Nova nomina illis indidisset, *Marc:* 3. v. 18. 19. Et peculiaribus miraculis istos præ reliqvis admovisset, *Matth:* 17. v. 1. *Marc:* 5. v. 37. *Vel* qvòd cœteris confidentiores essent, Ut Petrus se cum Christo moriturum, *Matt:* 26. v. 35 Jacobus & Johannes se ejus calicem bibituros dicerent, *Matt:* 20. v. 22. Voluit ergò agoni huic propiùs eos admovere, ut propriarum virium confidentiam eò fortiùs in illis deprimeret, & passionem ac agoniam viam ad gloriam esse proprio exemplo ostenderet. 5. *Quomodo ante gallicinium Petrus ter Christum negaturus dicatur? An* qvòd gallus planè non sit cantaturus, priusqvã trina negatio consummata fuerit, Ut *Matthæi, Lucæ, & Iohannis* verba volunt: *An* qvòd bis non sit cantaturus, ut *Marci C.* 14. v. 30. 72. Sed non dicit hoc simpliciter *Marcus*: sed inferit particulam ἤ, anteqvam *vel* bis gallus canat: Ubi non opus est, bis eum cecinisse: Sed satis, priusqvam etiam bis ille cantaturus esset, jam trina negatio consummata foret. Ut si dicam: Priusqvam vel bis urbem circumeas, jam tres epistolas paratas habebo. Non opus, bis circumiisse: Sed celeritas operis notatur, perfectum nempe illud fore, etiamsi nondum bis circumieris, imò ne semel qvidem totam. Vel particula bis ex *Marco* cœteris Evangelistis inserenda erit, Ut semel in negatione Petri gallus cantillârit, *Marc:* 14. v. 68. Et cum secundâ vice cecinit, jam trina negatio consummata fuit, v. 72.

33. 6. *An reverâ dolorem & tristitiam in animâ senserit, an sine interiore sensu omnia pertulerit, velut telum aquam vel ignem sine ullo sensu perforet ac pertranseat?* Ita olim *Hilarius c. l. Iustinianus Imperator, Epiphanius, & Aphtartodocetæ hæretici ap. Damascenum de hæres. aliiq;*. Sed contra totam passionis veritatẽ id est, eamq; reverâ tollit. Gravissimæ Christi qverelæ, sudor sanguineus, consolatio angelica, & emphatica Evangelistarũ verba, veros & reales angores fuisse ostendunt, ac Prophetiæ V. T. qvæ in Christo implendæ fuerunt, omninò id reqvirunt. *V. t.* 11. 12. 13. Et si non verè dolores sensisset, Nos nondum verè redempti essemus, Cum nos ob peccatum dolores veros & reales sentire promeriti essemus. Qvod absurdum. *Sensit sanè dolores non necessitatis Naturæ suæ conditione, cum sine omni*

peccato

peccato esset: Sed miserationis voluntate. Liberâ Oeconomiâ affectus suscepit, non ullâ peccati aut inordinationis maculâ spurcavit. *Verè in se sensit dolores: Sed non pro se, sed pro nobis. Verè in naturâ propriâ, sed pro naturâ alienâ, quam suscepit, & cujus bono universa pertulit.* Nobis enim factus est in justitiam, sanctitatem, & sapientiam. 1. *Cor:* 1. *v.* 30. *Pro nobis doluit, quia pro se, quod doleret, non habuit: Et sequestratâ divinitatis delectatione tædio nostræ infirmitatis afficitur, Vt eleganter Ambrosius in c.* 22. *Lucæ.* 7. *An & dolores infernales in animâ senserit, quando agonem cæteraq; sustinuit? Iesuitæ* magnam partem negant. *Bellarm: l.* 4. *d. an. Christi, c.* 8. *Valentia T.* 4. *d.* 1. *q.* 1. *p.* 5. *Salmeron T.* 10. *tr.* 50. *Et ex Photinianis Socinus C.* 8. *prælect: Theolog:* Sed emphasis verborum Evangelicorum & circumstantiæ passionis ante memoratæ omninò id reqvirunt. Qveritur n. à Deo derelictum se esse, *Matt:* 27. *v.* 46. Et in *Esaiâ c.* 53. omnium nostrûm peccata in ipsum conjecta dicuntur. At ista peccata dolores inferni comites secum trahebant. Et si corpore tantùm passus esset, Corporum tantùm redemptor esset. At & animam inprimis redemit ab angoribus infernalibus, qvibuscum in agone interdum fideles conflictari necessum habent. Eos ergò & ipse sustinuit. *Psal:* 69. *v.* 15. 16. Inde & maledictum pro nobis factus dicitur, *Gal:* 3. *v.* 13. Nec tamen *Christum desperasse*, Qvod *Calvino & Nobis Papistæ* affricant, *Calvino* tamen apertè contrarium dicente *L.* 2. *Inst: C.* 16. Et ex *Papistis Fero in Matthæ*, id affirmante, *Nostris* communiter id negantibus, inde seqvitur. Hoc enim eorum est, qvi dolores inferni *ob peccata propria sentiunt.* Christus autem ob aliena. Ac ut ipse peccatum in se non habuit: Sic nec desperationem habere potuit, qvæ reverâ gravissimum peccatum. Qvi desperant, pænis infernalibus *succumbunt.* Christus a. *superando vicit, non succumbendo defecit.* Et multi fideles dolores inferni in hac vitâ sentiunt cum *Davide, Psal:* 18. *v.* 5. 6. *Psal:* 116. *v.* 3. *Et Hukia, Esai* 38. *v.* 10. Nec tamen succumbunt, sed *in Christo* & per eum pervincunt. *Rom:* 8. *v.* 34. 37. 1. *Ioh:* 5. *v.* 4. 5. *Apoc:* 12. *v.* 11. adeoq; non desperant. *Deniq;* desperare eorum est, qvi nec auxilium Dei habent, nec per merita sua salvâ Dei justitiâ habere possunt, Cum ira Dei super eos maneat. *Ioh.* 3. *v.* 36. At hoc Christo non competit, Cui semper Dominus à dextris, *Psal:* 16. *v.* 8. *Psal:* 12. *v.* 25.

Psal:

Psal: 109. *v*. 31. *Esai*. 50. *v*. 7. Et qvi exauditus est pro reverentiâ *Heb*: 5. *v*. 7. *Aliud* etiam est, desperare: *aliud*, desperatorum & damnandorum supplicium sustinere, illudq; vincere. Hoc Christo tribui potest, non illud. Qvæ *Calvino* â Jesuitis hic imputari solent, fusè discusit *Chamier*. *T*. 2. *Panstrat*. *l*. 4. *d*. *Chro*. *C*. 13. & *l*. 5. *c*. 11. *seq*: 8. *Quid translatione Calicis, quam Christus orat, intelligatur*? *Quidam Patres* derivationem ejus ad martyres intelligunt. Sed rectiùs ipsius passionis ablatio â Christo intelligitur, Ea enim calicis voce in sacris venit. *Ierem*: 25. *v*. 17. *Thren*: 4. *v*. 21. *V*. *t*. 58. Transferri â se passionem petit: sed sub conditione, *t*. 32.

34. 9. *Quid per Spiritum carni oppositum, Matt*: 26. *v*. 41. *intelligatur*? Qvidam Sathanam intelligunt, Ut *Robert*. *Stephani*. *Alij* spiritum & superiorem partem Christi, intellectum nempe & voluntatem, *Vt Athanasius*, *Cyrillus*, *Beda*. *Rectiùs* Spiritus & interior Spiritualis commotio animi in renatis intelligitur, qvæ ad resistendum, pugnandum, sufferendum, prompta qvidem est, sed caro infirma est, nisi animi vigilantiâ & precibus supernum auxilium qvotidiè impetretur. Et sic Spiritus & caro in renatis opponi solent, *Ioh*: 3. *v*. 6. *Rom*: 8. *v*. 1. *Gal*: 5. *v*. 17. 10. *Cur â proprio discipulo ac Apostolo prodi voluerit Christus*? Qvia sic â Prophetis prædictum erat, *Psal*: 41. *v*. 10 *Psal*: 55. *v*. 13. 14. *Psal*: 69. *v*. 10. Et scriptura implenda erat, *Ioh*: 15. *v*. 18. Ac ut *typo Davidis* responderet, qui â proprio filio persecutionem passus est, 2. *Sam*: 15. 16. 17. Et eò acerbior passionis dolor Christo conciliaretur. Intensiùs enim pungit, *cum â propriis affligimur, quam alienis V*. *Psal*: 55. *c*. *l*. 11. *Cur osculo, quod amicitiæ & caritatis signum, prodi voluerit, & cur tale signum Iudas militibus dedit*? Ut patesceret, & ea, qvæ aliâs caritatis amoris, Concordiæ, & amicitiæ sunt indicia, in Christo amarissimi doloris fieri media, & qvibus cœteri conciliantur, Christum prodi & subverti, ac hypocrisi illâ Judæ osculantis eum, ac Rabbi vocantis, acerbiùs Christus pungeretur. Atrociùs enim mordet, cum amicitiæ specie subvertimur, qvàm cum aperto odio. Ac ut doceretur, Christum illum esse, qvèm spiritualiter osculari debeamus, *Psal*: 2. *v*. 12. & qvi nos spirituali osculo oris sui osculetur, *Cant*: 1. *v*. 1. h. e. spiritus oris sui nos participes reddat. 2. *Tess*: 2. *v*. 8. *Ioh*: 7. *v*. 39. Signum autem id militibus datum, *cùm* ut in notitiam Christi

nunqvam fortè antea visi manifestiùs in tenebris noctis ita venirent: *tùm* ut interea, dum ipse in amplexu & osculo diutiùs hæreret, illi fortiùs certiusq; nihil tale veritum captivum abducere possent, ne manibus eorum, ut olim, elaberetur. *Luc.* 4. *v.* 30. *Ioh.* 8. *v.* 59. 12. *Cur amicum & sodalem Christus Iudam vocat, Cum fur, desertor, latro & proditor esset?* InGræco est ἑταῖρ☉-, quod propriè sodalem & familiarem *notat*, observantq; nonnulli, *in toto N. T. neminem Christi socium vel sodalem vocari, præter unum Iudam proditorem*, Cœteri amici Christi, φίλοι, vocantur, *Ioh:* 15. *v.* 14. 15. *Solus Iudas sodalis.* Ut ominosa appellatio videri possit, quam Jesuitæ suo ordini imposuerunt, cum se societatis Jesu, & conseqventer socios ejus appellari volunt? Ut *Lansius or. c. Hispan.* notat. *Vel* ut veteris familiaritatis & conversationis Judam admoneret, ac sic clarius atrocitatem sceleris ejus summamq; ingratitudinem ac impietatem innueret, quod sodalis & amicus Magistrum suum proderet. Qvomodo & nomine proprio Judæ compellando sceleris stimulum relinquere voluit, quod ex confessore desertor, & proditor factus esset: *Vel* ut communi aliquo nomine uteretur, quod indignis etiam & ignotis interdum imponi solet. *Matth.* 20. *v.* 15. *c.* 22. *v.* 12. Quomodo & Germani ignotos voce Freund/interdum compellant. 13. *Cur ad solum Christi verbum milites prostrati fuerint ac retrò cesserint? Qvidam* cœlesti fulgori è facie Christi emicanti id tribuunt, Vt Hieronymus. *Rectius* Divinæ ejus potentiæ latenter & efficaeiter se exerenti id tribuitur, coram qvâ omnem vim humanam instar telæ aranearum esse oportet. Sic Saulum furentem verbo prostrauit. *Act:* 9. Et cogitandum hic, *quis, qualis, & quantus hic sit*, qvi loqvatur, & quo fine loquatur. Ac si tantum verbo potuit Christus in summâ humiliatione: Qvid poterit in summâ exaltatione, Cum in gloriâ Patris cum omnib. S. angelis venturus est? *Matt:* 25. *v.* 31.

35. 14. *Cur non passus est Christus Petrum aliosq; gladio se defendere, Cum injustam vim pateretur, sed id potiùs prohibuit?* Qvia nempe tempus patiendi erat, non pugnandi & defendendi, Eum n. in finem in hanc horam Christus venerat. *Ioh:* 12. *v.* 27. Prædictumq; de Christo erat, patienter ut ovem injurias passionis cum perlaturum, *Esai:* 53. *v.* 7. Et Petrus Ecclesiastica ac privata persona erat, Cui contra Magistratum etiam injustè agentem gladio se defendere, non

non licet, sed verbo & precibus. Nam *injusto gladio qui ferit, ille perit.* 15. *Quis adolescens ille fuerit, qui relictâ sindone nudus aufugit?* *Marc:* 14. v. 51. Solus *Marcus* hanc historiam habet. *Quidam* Jacobum Minorem, *alij* Johannem Evangelistam fuisse censent, ut *Ambrosius, Gregorius, Beda, & Baronius.* Sed improbabilia hæc. Ab Apostolis enim Juvenis hic distinguitur, v. 50. 51. Nec credibile est, hoc nocte Johannem vestimenta sua positurum fuisse, qvod de hoc juvene dicitur: Nec per sindonem nudæ cuti superjectam vestis Cœnatoria intelligi potest, Cum nec certum sit, Christum eâ cum Apostolis in ultima Cœnâ usum: nec si usus, Johannem eam per viam & in hortum usq; retinuisse credibile sit. *Iohannes* etiam in atrium Pontificis introiit, *Ioh:* 18. v. 15. Ut communiter sentitur. Qvanqvam dubium est. *V. t.* 37. At juvenis hic aufugit. *Probabilius*, aliqvem in villâ Gethsemani aut propinqvè, dormitorium suum habentem, aut ex iis, qvi in horti custodiâ fuerint, fuisse, strepituq; cohortis & militum excitatum è lecto ad spectandum se proripuisse, linteo humeris tantùm superjecto, sicq; Jesum secutum â militibus vel adolescentibus cohortem confusè, ut in tumultibus fieri solet, seqventibus arreptum fuisse, ac sindone relictâ nudum aufugisse.

36. 16. *Quis & qualis angelus in agoniâ Christo apparens fuerit, & qualis confortatio?* Solus *Lucas* hanc historiam habet. *Quidam* Michaelem fuisse putant, ut *Fran. Lucas. Probabiliter Gabriel* existimatur, is enim qvoad nomen actui confortationis respondet, Cum nomen ejus q. virtus Dei sonet: Et *Luc.* 22. v. 41. voce ἐνισχύων utitur, qvod corroborans propriè est. Ac iste angelus Danieli passionem Messiæ, *Dan:* 9. Zachariæ Johannis præcursoris Messiæ nativitatem *Luc:* 1. Mariæ conceptionem & Nativitatem Christi, *Luc.* 1. annuntiârat. *Credibile*, & hic confortasse angelorum dominum in agoniâ extremâ existentem. Et *de numero confortationis ac ipsa confortatione variè* sentitur. *Tutusimè* Christum confortasse dicitur qvia tanta in passione Christi fuit exinanitio, ut qvanqvam & Deus esset & homo sanctus, pro nobis tamen eò se demiserit, ut & ab angelo in ultimâ agoniâ confortari necesse habuerit. Sic defecit præ angelis, *Psal:* 8. v. 6. Et à Deo derelictum se qveritur, *Matt.* 27. v. 46. *Qualiter autem confortatio secundùm partes & minutias omnes*

contigerit, vix est linguis hominum eloqvi, aut intellectu asseqvi. *Satius, devotè tanta mysteria mirari,* ac fide applicare, qvàm nimis curiosè scrutari, in qvibus semper aliqvid superest. 17. *Qualis sanguineus Christi sudor fuerit, quem in agone emisit?* Solus *Lucas* hujus, & angelicæ confortationis meminit, ac olim in dubium illam historiam vocatam esse *Hilarius l. 10. d. Trin. & Hieronym. l. 2. Pelagian.* testantur. Et utrumq; admiratione dignum est. Habent Medici sanguineos interdùm in morbis sudores, sed in subjectis intemperatis, ac magnâ cachexiâ laborantibus, de qvo *Aristot. 3. d. port. anim. c. 5. & 3. hist. an. c. 19. Fernelium l. 6. d. abd. caus. c. 4. Rondaletium l. d. dign. morb. C. 11. & 18. Maldonatum in c. 26. Math. v. 37. Horstium l. 1. hist. mirabi. c. 2. Fabricium l. 3. ann. Misnic. Mercurial: l. 4. Var: Lect. c. 12. Hechsteterum dec. 1. rarar. observ: obs. 8. aliosq;* videas. Sed in *Christo* hæc cogitanda non sunt, in quo omnia temperatissima, & καχεξίας causæ nullæ. *Alij* ad miracula, *alij* ad allegoricas expositiones, hyberboles, *alij* ad fidem historiæ derogandam decurrunt. *Tutissimè magnitudini doloris totum hoc adscribitur.* Vires in totum in ultimo Christi agone resolutæ, pondus peccatorum totius mundi illi incumbens, ac vehemens lucta inter affectum naturæ, & voluntatem gratiæ, ingenti consternationi & intensissimo angori juncta *sanguinem etiam præter naturam in subjecto temperatissimo*, complexione delicatâ, cute, poris & venis rarissimis, expressit. Attenuare angor sanguinem, rarefacere cutem, aperire poros sicq; cum sudore & sanguinis subtiliorem partem resolutam excernere potest, maximè si jam propria sudoris materia absumpta sit. Sed hic θρόμβοι *& grumi sanguinis in terram cadentes fuerunt*, in qvo supra ultra, & præter Naturam aliqvid fuit, eoq; ad Naturam non præcisè exigendum, sed speciales ejus modos tutius mirari, qvàm rimari, fuerit.

37. *Fuerunt, quæ in horto Christus passus est. Seqvuntur, quæ in tribunali Pontificis & Prætoris. Hic* passus est captivam deductionem, trinam Petri abnegationē, variū de doctrinâ examē, falsorū testium productionem, blasphemiæ intentationem, variam illusionem, conspuitionem, colaphisationē, condemnationem, flagellationem, & ad locum supplicij deductionem cæteraq;. *De quibus* seqventia qværuntur. 1. *Cur omnium primò ad Hannam ductus fuerit, Cum tamen summus sacerdos iste*

iste non esset? Quia paulò ante summo sacerdotio functus erat, Vir præcipuæ authoritatis, ætate venerabilis, & Caiphæ, summi tùm sacerdotis. Socer erat, vt qui filiam eius uxorem habebat, *Ioh.* 18. *v.* 13. Quem Caiphas ipse ut Patrem honorabat; ac per hos annos inter omnes archieratici ordinis Pontifices Hannas præstabat. Et fortassè *præ cæteris ille* curavit ut Christus proderetur & caperetur. Honoris ergò huc primò Christum deducunt, ut eius aspectu tanquam seditiosi & sacerdotum osoris gaudium ac voluptatem seni crepet. *Alij* alias rationes adducunt, quæ incerta sæpius sunt. De quibus *Casaubonus Ex.* 13. *s.* 4. 5. *Et ex.* 16. *s.* 33. *aliiq;* videantur. Et sacerdotibus primùm sistitur, Ut typi veritas impleretur. Cum hostiæ primùm ad sacerdotes adducendæ essent, priusqvam iugularentur. *Lev.* 17. *v.* 5. 2. *Cur Petrus eminùs secutus?* Non poterat omnem Magistri curam abiicere, & miraculosâ liberatione se evasurum sperabat. Qvòd sequitur, amoris; qvòd è longinqvo, timoris fuit. *Amor traxit, pauor retraxit.* 3. *Quis alter ille discipulus, Petri Comes Cujus auxilio Petrus in domum intromissus? Vulgò Johannem* fuisse existimant, Ut *Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus. Nicephorus, Hieronymus, Brentius, Hunnius, Mathesius, aliiq;* Sed post tantam in scholâ Christi conversationem familiaritas cum Pontifice, jurato Christi hoste, vix bonum in tanto Apostolo, qvem Jesus præ cœteris carum habebat, fuisse indicium. *Augustinus & glossa ordinaria* non temerè desiniendum censent, qvia taceatur. Fortassè ex occultis Christi discipulis fuit, qui metu Pharisęorum non publicè confessi. Vt benè hic *Corn. à Lapide in c.* 26. *Matth. v.* 58. 4. *An benè factum, quòd Pontificis atrium Petrus ingressus?* Ad minimum *inconsideratè.* Monitus de scandalo & negatione erat, re ipsâ in fugâ timiditatem suam expertus erat, fugam in Angulo deplorasse utilius, loca suspecta & occasionem peccatis præbentia vitasse, quam adijsse consultius erat. Sed exitum rei videre percupiens adit, intrat, impiis se sociat, cum ex Christo exitum jam audiisset. *Matth.* 26. *v.* 2. Argumentum imbecillitatis in homine relinquens, & exemplum, vnde nos in simili prudentiam haurire debeamus.

38. 5. *Qvomodo, frigus esse potuerit, Cum Martio mense hæc gesta, & Palæstina caloribus exæstuet?* Nocte, præsertim post pluuias, aer interdum frigidiusculus esse potest, ut pellendo frigori ignis struendus.

endus veniat. Per noctem a. hæc gesta. 6. *Quoties Petrus Christum negaverit?* *Cajetanus in c.* 18. *Iohan.* septies putat sed Christus *ter. id* futurum prædixit. *Matth.* 26. *v.* 34. Et trina Confessio negationi reposita, *Johan.* 21. *v.* 15. idem docet. Diversitates autem Evangelistarum hic occurrentes facilè conciliantur. Quod de uno narrant quidam, *Johannes* a multis factum, ait, *c.* 18. *v.* 25. Vt successivè multi Petrum interrogare eiq; dicere potuerint, Et tu ex discipulis ejus es. *Primò* ancilla ostiaria, *v.* 17. *Matth.* 26. *v.* 69. *Postea* eadem & alia ancilla: *deniq;* ministri plures, inter quos vnus Malchi cognatus insigniter præ cœteris oculorum testimonio nixus omnes Petri rationes conturbavit, & vt execratione etiam vteretur, compulit, *Matth.* 26. 73. *Marc.* 14. *v.* 70. *Joh.* 18. *v.* 26. 6. *Quale & quantum hoc Petrinæ abnegationis peccatum fuerit?* Patres & *Iesuitæ* interdum excusant & extenuant, *Vt Rupertus, Hilarius, Hieronymus, Origenes, Toletus in c.* 18. *Joh. aliiq;* sed gravissimum peccatum fuisse & *respectu operantis*, qui primarius Christi Apostolus, vltra triennium in scholà Christi eruditus, & *objecti*, qvod verum & unicum totius salutis fundamentum, & *adstantium*, impiorum ac infidelium, quib. summum fidei scandalum objectum, & *modi*, qvo alia peccata concurrerunt, vt temeritas, garrulitas, timiditas, diffidentia, iterata repetitio, execratio ac devotio, nominis divini abusio, mendacium, perjurium, obstinatio, aliorumq; ratione patet, Vt nî Petrus resipuisset, Christus coram Patre suo eum negaturus fuisset, *Matth.* 10. *v.* 33. Vnde & mortale ac damnabile peccatum fuisse apparet, ac jugiter per totam vitam de eo pœnituisse, & quoties per noctem gallum cantantem audiit, amarè flevisse *Petrus á Clemente* dicitur, *C. à Lapide in v.* 75. *c.* 26. *Matth.* notat.

39. 7. *Cur primò de discipulis Pontifex quæsivit, postea de doctrinâ?* *Joh.* 18. *v.* 19. Vt seditionis speciem in eum deriuare posset, quasi ista discipulorum collectio non nimium meditatæ seditionis indicium fuerit. Sic enim solent, qvi seditionibus viam quærunt, ministros sibi & discipulos parare. *Act.* 5. *v.* 36. 37. Et id crimen libenter vnâ cum hæresi ac errore Christo impegissent, Cum ista duo crimina, hæresis & seditio, omnium in Republ. gravissima sint, & illa animas, hæc corpora hominum petat ac perdat. 8. *Quomodo Christus se nihil in occulto locutum dicat. v.* 20. *Cum sæpè Apostolis privatim explicârit à*

Marc. 4. *v.* 10. Nempè hic *ipsum genus doctrinæ* intelligit, quod publicè omnib. propositum fuit. Circumstantias quasdam, vberiorem illustrationem, & meliorẽ docendi formã privatim adhibere potuit Substantia doctrinæ vtrobiq; fuit eadem. 9. *Cur de discipulis nihil respondet? An* quod vnus negasset, alter prodidisset & defecisset, cœteri omnes diffugissent & laterent? *Vel* quod ista de discipulis qvæstio ad seditionem spectârit. Eam autem Christus sufficienter amolitur, cum nihil in occulto se molitum dicit, vt de discipulis specialiter respondere nihil opus fuerit. 10. *Cur ministrorum vnus alapam Christo impegit? vel* quòd authoritatem sui Pontificis tueri ita vellet, quam nimis libero responso violari â Christo sentiebat: *Vel* quòd Christus ad auditores & præsentes etiã adstantes prævocaret, *v.* 21. Inter qvos & interdum sacerdotum ministri fuerunt, *Ioh.* 7. *v.* 46. vt omnem doctrinæ aut favoris in Christum suspicionem ei melius â se amoveret, & nunqvam sibi quidqvam cum Christo aut dogmate eius commercij fuisse ostenderet. 11. *Quomodo Hannas Christum ad Caipham misit, an ergò apud Hannam examen hoc institutum? Ioh.* 18 *v.* 24 Aput Caipham factum est, *Matth.* 26. *v.* 57. Misit autẽ hic pro *miserat*, positum A prout aoristi interdum pro Plusqvamperfectis ponuntur. *Vt Marc.* 16, *v.* 14. *Ioh,* 7. *v.* 39. ut rectè *Syrus, Arabicus, Cyrillus, Hunnius, Gerhardus, Tremellius, Beza, A Lapide dic:* Et tùm id factum, cum Caiphæ personam describit Johannes, *v.* 14. *Alij* hunc versum ex suo loco traiectum, & inter *v.* 13. *&* 14. *Ioh.* 18. reponendum putant. Vt *& Lutherus, Piscator, alijq;.* Sed non facilè concedendum hoc, si alio responso salvari detur. Et cum Johannes â Pontifice Christum interrogatum dicit, *v.* 19. satis insinuat, non apud *Annam,* qui tùm non Pontifex erat, sed *Caipham,* qui reverâ erat, examen hoc gestum.

40. 12. *Cur vestes lacerârit Pontifex?* Arbitrabatur n. blasphemum, quòd â Christo diceretur, & in gravioribus affectionibus vestes circa pectus lacerare Judæi solebant. 1. *Sam.* 1. *v.* 11. 2. *Reg.* 19. *v.* 1. *Act* 14. *v.* 14. *Quidam* Pontifices â DEO privilegium accepisse putant, ne ullo casu vestes lacerarent, *Vt Leo M. Baronius, A Lapide in* 26. *Matth. v.* 65. *& c.* 21. *Levit. v.* 10. Et in luctu super mortuo id vetitum erat, *Levit* 10. *v.* 6. *c.* 21. *v.* 10. Absolutè & in omni casu prohibitum fuisse nusquam apparet, nec Rabbinorum ritualia aliquid hic habent.

habent. 13. *Qualis intuitus Christi in Petrum fuerit?* *Partim* exterior & corporalis, Vnde στραφὰν, conversus dicitur: *Partim* interior & spiritualis, blandus & comis, commotionem & misericordiam junctam habens, ut eo ad pœnitentiam Petrus induceretur. Et potuit Christus in judicio in loco editiore stare, Petrus in atrio in inferiore esse, vt ex superiore aulâ facie retroversâ Petrum intueri licuerit. Gestu & signo agere voluit, non verbis & monitu, ne coram omnibus eum confunderet, *& in extremum vitæ discrimen*, quasi suum olim discipulum, adduceret. 14. *Pilatus quis & qualis fuerit?* Quidam Pontium prænomen, alij proprium nomen eius fuisse putant. Sextus Romanorum præses sub Tiberio Imperatore fuisse putatur. Quidam *Forchemij* Francorum natum, alii Romanum fuisse putant. *Quidam etiam* conversum & salvatum putant, idq; ex *Augustino, serm. 3. Epiphan. & Tertulliano c. 21. Apologet.* probare volunt. Sed incerta omnia hæc. Autocheir perijt, qvalis ordinariè non salvatur. 15. *Cur ad Pilatum Christum sacerdotes ducunt?* Quia executionem capitis in suâ potestate amplius non habebant. *Ioh.* 18. *v.* 31. Sed Romanorum ea erat, & per præsides Romanos inferebatur. Per Populi furorem interdum occidebant alios, *Vt Act.* 7. *v.* 58. Et J*acobum* Hierosolymitanum Episcopum ita occiderunt, cum Romana administratio vacaret, *Josephus l.* 20. *Antig. l. c.* 8. *Baronius T.* 1. *Ann. an.* 63. *n.* 1. 2. *seq.* Sed certo judicij ordine ita progredi non licebat. Volebant etiam hoc modo invidiam mortis Christi in Romanos & gentiles derivare, sibi à contaminatione per mortis irrogationem cavere, ut Pascha manducare liceret, ac prætorianis militibus populi tumultum, si fortè quis oriretur compescere 16. *Cur ipsi sacerdotes & Pontifices id faciunt, non tantùm per Ministros & lictores fieri curant?* Vt ita faciliùs authoritate suæ præsentiæ tumultum populi avertant, animum Præsidis ad occidendum permoveant, speciem Juris vniverso furori prætexant, ob festum instans eò celeriùs negotium promoveant, & ne forte Christus liber ex more festi dimitteretur, impediant.

41. 17. *Quomodo* Jud*as se suspendit, ut Matthæus, Cum medius crepuerit, ut Lucas Act.* 1. 7. 18. habet? *Matthæus* supplicij initium describit, quod suspendium, *Lucas* finem & consequentia, quod crepitus. Fracto n. laqueo in terram pronus decidit, saxoq; aut

trunco

trunco illisus, aut sine eo venter crepuit, ac viscera effusa sunt. *Papias & Baronius* varia de interitu Iudæ hic habent. Qvidam curru obtritum ajunt. Alij è ficu & tali arbore, qvalis Adamo in Paradiso vetita, se suspendisse putant. Incerta, & ex parte fabulosa omnia hæc. Velut &, *an in Vrbe, an extra eam*, ex arbore vel trabe, in agro vel horto, se suspenderit, totum incertum, & de qvo nihil Evangelistæ habent. 18 *Quomodo Ieremiæ tribuatur pretium 30. argenteorum, quo Christus venditus, & ager figuli emptus, Cum apud Zacchariam 11. v. 12. 13. id extet?* Varia hic responsio. *Alij* textum in abbreviaturis corruptum, & ιȣ̃ pro ζȣ̃ scriptum putant. *Alij* lapsum memoriæ in talibus Apostolis tribuunt. *Alij* Zacchariam binominem fuisse dicunt. Alij aliter. *Tutissimum*, dicere, *Vel* â Jeremiâ hoc dictum & prolatum, unde Matthæus ῥηθὲν ait, sed â Zachariâ scriptum esse: *Vel* duo hic implicari, & emptionem agri, de qvâ apud *Jeremiam*, C. 32. v. 7. Et emptionis pretium, de qvo apud *Zachariam*; Et per concisionem unum allegari, omisso altero: *Vel* nomina hic permutari, ut omnes Prophetas uno Sp. S. impulsu locutos innuatur, & non tàm ad Prophetam, qvàm Sp. S. primarium omnium authorem, respiciatur, & *Matthæus* non tàm allegare, qvàm explicare & applicare Verba ac historiam Jeremiæ intendat. 19. *Quomodo ob contaminationem prætorium Pilati ingredi noluerint Iudæi, cum nulla lex divina impuritatem inde inferri docens extraret?* Hoc hypocrisi eorum & humanis traditionibus tribuendum est, qvib. varia legi addiderunt, eaqꝫ inde collegerunt, qvæ reverâ in sensu ejus non continebantur. Mortuorum contactu impuritas contrahebatur, *Lev. 21. & 22.* Sic & in domo illâ, ubi capitales sententiæ ferrentur, inferri eam isti censebant. Et alienigena ex Paschate edere prohibitus erat, *Exod. 12. v. 43. 48.* Sic & ingressu in domum incircumcisi se pollui putabant. Innocenti sanguine conscientias polluere non timebant: Et Judicis prætorium ob ceremonialem impuritatem ingredi metuebant. Executionem supplicij expetebant, & criminis probationem declinabant.

42. 20. *Cur ad objecta crimina nihil respondet Christus?* Ad sermonem Pilati respondet correctoriè & informatoriè, *Ioh. 19. v. 11.* Et de veritate bonam Confessionem edit, *C. 18. v. 34. seq. 1. Tim: 6. v. 13.* Sed ad crimina nihil apologeticè & excusatoriè. Qvia *partim*

 nolo-

notoriæ calumniæ ac palàm falsa erant: & Præsidem religionis irrisorem ac veritatis contemptorem responso indignum judicabat,, Cum de totâ re ei satis constare sciret: *partim* omnia gesta in publicâ luce erant, ut excusatione vel defensione non egerent: *Partim* ut voluntariè se mori, non invitum ostenderet: Nec ad causam suam agendam coram Præside, sed ad judicium subeundum stetisse indicaret. 21. *Cur Pilatus Christum ad Herodem misit?* Qvia Galilæum esse audiebat, & sic ditioni Herodis subjectum, qvi Galilææ tetrarcha erat, iis ipsis dieb. Hierosolymis subsistebat, ac religionis Judaicæ benè gnarus erat. Unde à se invidiosam causam declinare, ad alterius forum remittere, ac occasionem componendis simultatibus, qvas inter se alebant, honoris istâ significatione capessere voluit. Innocentiæ autem testimonium Christus hac occasione ab omnibus tribunalibus reportat, Ecclesiasticis & Politicis, Romanis & Judaicis, prætoriis & regiis, Et Judæorum malitia clarius elucescit, in qvo manus & consilium Dei apparet. *Act.* 2. v. 23. C. 4. v. 28. 22. *Cur & Herodi nihil Christus respondit?* Qvia responso indignus erat, ut curiosus tentator, Calumniator, vanus novorum appetitor, veritatis illusor, crudelitate canis, astutiâ & hypocrisi vulpes, voluptate porcus, eoq; voce dignus non erat, Cum non porcis margaritæ projiciendæ. *Matt:* 7. v. 6. Ipseq; tandem cum Herodiade sua 5. annis post hoc relegatus est, Ut *Josephus aliiq;* memorant.

43. 23. *Cur castigaturum se Christum Pilatus dicit, Cum publicè innocentem testatus esset?* Ut furori Judæorum aliqvâ ex parte satisfaceret, authoritati eorum consuleret, ne prorsus gratis accusasse eum viderentur, Sed castigatione eum dignum & ipse habere, & si non morte, censeretur, & ad liberum eum dimittendum misero hominis castigati adspectu magis eos permoveret. Politicè hæc qvidem egit *Pilatus*: Sed tamen injustè. 24. *Unde Consuetudo illa apud Judæos dimittendi reum aliquem in festo Paschatis?* Origo ejus certa ignoratur. Occasio tamen ex memoriâ liberationis Aegyptiacæ cepisse videtur, qvæ Paschate recolebatur, Ubi & peregrinis ac advenis misericordia exhiberi jussa, *Exod:* 12. v. 17. Unde & vinctis eam exhibendam collegerunt. Consuetudo ipsa Judaica erat, & vetustate in necessitatem versa. *Luc:* 23. v. 17. Sed *Præses Romanus*

manus nominandi duos potestatem ad se restrinxerat, ex qvibus unus â populo liberaretur. 25. *An somnium Conjugis Pilati divinitùs immissum fuerit?* Qvidam â Sathanâ fuisse censent, ut *Beda, Ignatius, aliiq;.* Rectiùs *divinum* statuitur. Ad innocentiam n. Christi testandam vergit, & ut Pilatus â damnando injusto sanguine deterreretur, qvalia Sathanam intendisse dici non potest. Et aliâs impiis somnia divinitùs immitti *Labani, Nebucadnezaris, Pharaonis*, aliorumq; exempla docent. *Sed cur non Pilato ipsi, verùm Vxori ejus immissum?* Ut ita omnis generis & sexus hominibus Christi innocentia ostenderetur, Cum *Pilato ipsi* satis ex actis de eâ constaret, eoq; publicè de eâ testatns esset. Sic & sol, petræ, terra, velum templi, prodigiis de eâ testata fuerunt. *V. t.* 50. 26. *Quomodo horâ 6. Christus â Pilato judicatus est, Joh:* 19. *v.* 14. Cum jam tenebræ illâ ortæ fuerint, *Marc:* 15. *v.* 33. Qvæ post crucifixionem demùm ortæ? Nempe sextâ judicatus est Christus, sed ineunte, nondum completâ. Sed tenebræ ortæ sunt, verùm exactâ, & aliquo post eam spatio, atq; hoc *Marcus* vult. 27. *Quomodo eadem horâ judicatus est, vt c. l. Johannes dicit, Cum tertiâ jam crucifixus sit, vt Marcus c.* 15. *v.* 25. *habet?* Gravior hic priore nodus, eoq; variis sententiis impeditus. *Quidam* exemplaria vitiata esse dicunt. *Alij* varia conciliandi media quærunt. Si diei In 4. quadrantes apud Judæos divisio *certa* esset, ad quam plerìq; recurrunt, expedita foret solutio. Sextâ horâ judicatus Christus, diei nempè, quia circa eam, nondum auditam, ea contigerunt, quæ *Johannes* narrat. Sed tertiâ crucifixus, h. e. tertio diei quadrante, qui â sexta diei horâ incipiebat, & in nonam desinebat, inter hunc terminum Christus verè crucifixus. Sed cum incertius illud sit, etsi verisimiliter ex *Matth.* 20. *v.* 1. 3. 5. 6. *seq. Johan.* 11 *v.* 9. *Act.* 2. *v.* 15. C. 3. *v.* 1. *quidam* colligere laborent, dicendum, *vel Johannem* more Romano sextam â media nocte intelligere, quâ illa contigerunt: Marcum more Iudaico tertiam dicere ab ortu solis, quâ Crucifixio Christi cepit, etsi non completa fuerit: *Vel, Johannem* sextam dicere, Parasceves nempè Paschatis; qvod addit, & postquam Christus ad Caipham & Pilatum ductus est: *Marcum* tertiam vocare, qvâ nempè ad Pilatum Christus ductus, accusatus, & damnatus est, & ea contigerunt, quæ ab initio istius capitis recenset: *Vel* tertiam ratione supputationis templi dicere, quâa d orandum

dum conveniatur, & si communi ratione sexta fuerit: *Vel* deniq; inter insolubilia hunc nodum referendum. 28. *Cur manuum ab, latione innocentiam suam testari Pilatus voluerit, & quo ritu id fecerit?* *Quidam* gentilium ritu fecisse putant; Sed post crimen ad expiandum illud purgationes aquæ apud illos erant, non ante illud ad testandam innocentiam, quod *Pilatus* facit. *Alij* Judæorum ritu id habuisse putant, vt *Deut.* 21. *v.* 6. *Vt Baronius, Origenes, Lapide in* 27. *Matth. v.* 24. *Maldonatus in c. l. Gerhardus C.* 11. *harm. Pass. alijq;*. Sed vix credibile, hominem Romanum & gentilem ritu Judaico eo tempore vti voluisse, quo à pessimis sacerdotibus & furioso populo ad cædem innocentis adigebatur, quam omninò horrebat. *Rectiùs ex more Veterum* non verbis solùm, sed & gestibus animi sensa interdùm exprimentium gestum hunc ad innocentiam coram omnib. testandam adhibuisse dicitur, Cum in tumultu verba satis exaudiri ab omnibus non possent. Qui mos tàm Judæis, quàm gentibus vsitatus fuit. Sic qui capita papauerum in horto decutiebat, *Valer. Max. l.* 7. *c.* 4. Et qui *Zenonem* motum rationibus negantem cursitatione refutabat. *Conimbr.* 6. *Phys. C.* 2. Sic *Agabus* manuum pedumq; vinctione sensum suum declarabat, *Act.* 21. *v.* 2.

44. 29. *Quomodo Christus crucem portârit, Johann* 19. *v.* 17. *Cum Simon Cyrenæus ad id adactus fuerit*, Vt cœteri dicunt? *Vel* Christus in vrbe Crucem portauit, si non extra eam: *vel* partem eius anteriorem Christus portavit Simon posteriorem, *Luc.* 23. *v.* 26. *Vel* solus hic totam extra urbem tulit, quia Christus viribus fractus erat, ut ampliùs portare non posset, & defecturum metuebant. 30. *Quid angariare sit, quo de Simone Matthæus & Marcus utuntur? Persica vox est*, à nuntiis Regum sumpta, qui obvios quosq; ad ferendas vltrà literas rapiebant. Sic hic milites prætoriani ex omni hominum genere collecti in isto facto ab Evangelista describuntur, & ad portandam crucem vi Simonem, ut obvium adegisse notantur. *Conf. Matth.* 5. *v.* 41. 32. *Cur veste purpureâ Christum exverunt, & propriâ iterùm induerunt?* *Vt* dolorem Christo augerent, cum non nisi exquisito cruciatu ex vibicibus, quib. impacta erat, abstrahi posset, *Ex* proprio vestitu meliùs ab omnibus agnosceretur, *in* extremum apud omnes contemptû adduceretur, *ac* ad se propriam Christi vestem post crucifixionem derivarent, quam ad se jure pertinere putabant. Spineâ autem coronam non extraxerunt, *vel* quia fortiùs impacta erat, quàm ut extrahi pos-

ſet: *vel* quia ignominiam augere voluerunt, quòd inter latrones coronâ inſignis conſpici mereretur. 32. *Quid vinum myrrhatum fuerit, quo Chriſtus ante crucifixionem potionatus, Marc.* 15. *v.* 23? Variæ hic ſententiæ. *Matthæus* acetum cum felle miſtum vocat, *v.* 34. C. 27. *Alii* medicamentoſum & delicatum fuiſſe cenſent. *Optime* dicitur, vinum in modum aceti corruptum fuiſſe, vnde acetum vocatur, cui myrrha & fel injecta fuerint, ut cruciatum & ignominiam Chriſto augerent, omnemq́; commiſerationis ſpeciem exuerent. Non de delitiis aut morte accelerandâ, ſenſibus ſtupefaciendis, vel officio præſtando hic cogitandum, ut *Calvinus, Baronius, aliiq́;*, cum inſani furoris in Chriſtum omnia plena fuerint: Et in querelæ modum id de Chriſto prædictum fuerit, *Pſal* 69. *v.* 22. Ac voluptas noſtra eſu pomi vetiti ſvaviſſimi ita eluenda fuit, ut myrrhato aceto lethalis pomi ſuccus abſtergendus fuerit.

45. Sic & *quæ in utroq; tribunali Chriſtus paſſus*, fuerunt: *Seqvuntur, quæ in arâ lignea, ſeu cruce.* Hic paſſus crucifixionem, variam illuſionem & convitia, dolores intenſiſſimos, membrorum diſtenſionem, manuum pedumq́; perforationem, tituli inſcriptionem, Veſtimentorum direptionem & diviſionem, ſimiliaq́;, de qvibus *ſeqventia* quæruntur. 1. *Cur crucifixione præciſè mori voluerit? Partim* ut prædictioni & typis eventus reſponderet, *Matth.* 20. *v.* 19. *C.* 26. *V.* 1. 19. & Medicina morbo in ligno fructus de arbore commiſſo, *Gen.* 3. analoga eſſet, ac maledictam mortem ſuſtineret, cum pro nobis maledictum fieret. *Gal.* 3. *v.* 13. Ab omnibus conſpiceretur, & reſurrectio tantò mirabilior eſſet, quantò mors horribilior, ac inter cœlum terramq́; pendens verum ſe DEI hominumq́; Mediatorem oſtenderet. Et turbatorum ac ſeditioſorum hoc ſupplicium erat. Chriſtus autem, ut talis, accuſatus erat. 2. *An & crucifixionis ſupplicium Judæis uſitatum?* Affirmant *Sigonius, Lipſius, Baronius, Gretſerus, aliiq́;*. Rectiùs negatur. Antiquiores enim *Rabbini* negant, ſuis vſitatum fuiſſe, nec in lege vlla ejus mentio, & in ſuppliciorum ſpeciebus quas accuratè recenſent, nullam *crucifigii ſpecialiter dicti* mentionem habent, nullamq́; etiam vocem habent, quâ iſta ſpecies exprimatur; ſed generaliter *vel* ligni ſuffixionem notant, quâ & ſuſpendium, palus, rota, furca, comprehenduntur: *vel* crucem laxiùs pro quovis graviore ſupplicio ſumunt, quod & Latinis uſitatum, ut in

crucem

crucem agere, *V. Gen.* 40, *v.* 19. Vbi *Josephus* crucifixionem nominat, *l.* 2. *Antiqu. c.* 3. Multæ enim pœnæ sunt, crucem aliquo modo referentes, unde crucis nomine dictæ, & ob maledictioné *Deut.* 12. *v.* 23. maximè Judæis diræ erant. *Psal.* 22. quidé crucifigium Christi describitur: sed à Romano Præside suo tempore inferendum, non Judæis vsitatū. 3. *Qualis locus Golgatha, & unde dictus?* *Quidam* à caluaria Adami ibi sepulti dictum putant. Sed incertum hoc. Melius *vel* inde dictus putatur, quod ibi à Romanis plecterentur rei, unde plexorum erania sparsim fortasse ibi, *Johan* 19. *V.* 17. *Vel à* rotunditate, quod à vallibus circumjacentibus rotundus promineret. 4. *Quæ materia crucis, & ex quo ligno facta?* *Lipsius* ex quercu fuisse ait, quòd hodierna ejus frusta ejusdem speciei. *Alÿ* ex variis ligni generib. componunt, juxta versum: *Ligna crucis palma, cedrus, Cupressus, Oliva.* Sed totum incertum hoc etiam est, & particulas istas de verâ Christi cruce esse similiter incertum. *V.* t. 52. *seq.* 9. Qui legere nonnulla de his velit, *Gretserum l.* 1. *d. Cruce c.* 5. *& Lipsium libris de Cruce adeat.*

46. 5. *Quæ forma ejus fuerit, an decussata, commissa, an immissa?* Et hoc incertum. Immissa tamen maximè probabilis. 6. *Quot clavis Christus in cruce affixus?* Si pedes distinctè fixi, quatuor, si commissi, tribus. *Quidam* & in ligno aliquo sedisse, aut suppedaneo stetisse in cruce Christum censent. Sed *Act.* 5. *v.* 30. & *Gal.* 3. *v.* 13. pependisse dicitur: Et crudelitati Judæorum conuenientius est, totam corporis molem â brachiis & manibus suspendisse, quàm qualemcunq; levationem corpori admisisse. *De formâ clavorum* etiam variatur. Sed incerta sunt omnia, & frustra nimis solicitè inquiruntur. 7. *Cur extra urbem crucifigi voluerit?* *Partim* ut typo hirci emissarij extra castra Israëlitarum in campum emissi responderet, *t.* 17. *Partim ut* fidem & gratiam à Judæis in omnes mundi gentes spargendam innueret, & nos extra castra ad se venire, & ignominiam suam ferre debere doceret, *Hebr.* 13. *v.* 12. 13. 8. *Quo mundi anno Christus crucifixus?* Variæ hic sententiæ, prout mira in Chronologis varietas. Ex hypothesi de tempore nativitatis *in Natalitÿs* præmissa t. 14. Passio in annum Mundi 4076. incidet. In eum enim annus ætatis Christi 34. incidit, qui est annus passionis. *Si Scaligeri*, & qvi eum sequuntur, *Calvisii & Behmii*, sententia certa esset, qui anno M. 3947. Christum natum censent, quam sententiam jrrefutabilib. documentis

mentis demonstratam à duob. posteriorib. esse *Celeberrimus quondam Noster Crügerus in prognost. Anno* 1612 *C.* 2. dicit, annus passionis annus M. 3981. esset, Sic enim 34. anno ætatis Christi responderet, quo passus. 9. *Quo ætatis anno?* Iterum variant sententiæ. Commodissimè 34. currente, nondum exacto, dicitur. Hoc ex *Luc.* 3. *v.* 23. & Paschatibus â Christo celebratis colligitur. 10. *Quo Tibery Cæsaris anno?* 18 vel 19. Vt commodissimè *ex c. l.* colligitur. 11. *Quoto ministerij anno, mense, die, & quot Paschata in ministerio Christus celebrârit?* In excessu & defectu hic peccatur â *Tatiano Justini discipulo, aliisq́.* *Tutissimè* 4. Paschata celebrasse dicitur, non tria aut qvinq́, vt alii, qvæ distinctè ex *Iohanne* sumi possunt, qui post alios Evangelistas scripsit. Primum *Ioh.* 2. *v.* 13. Secundum *C:* 5. *v.* 1. Tertium *Ioh.* 6. *v.* 4. Et quartum *C.* 11, *v.* 55. *C.* 12. *v.* 1. In quo crucifixus. Ita quarto Ministerii anno passus, vel currente, vel circiter exacto. *Mensis* autem Paschalis fuit, quo passus est, Vt ex Passionis historiâ liquet. *Dies Veneris*, vt vocatur hodie, fuit, sabbatho enim Iudaico, nostro Saturni diei respondente, in sepulchro quievit, & die Solis seu Dominicâ resurrexit. Veneris ergò die obiit. Et dies 15. Mensis Nisan secundum Judæorum Calendarium fuit, quo Pascha Mosaicum ex legis præscripto celebrandum fuit, ut ex Paschate â Christo celebrato constat, *t.* 23. 24. Qui dies 25. diei Martii mensis nostri Calendarii respondere putatur, quo passus est Christus, de quo peculiarem disputationem *Christmanni* de die passionis Christi videre queas.

47. 12. *Quomodo nescire Judæi dicantur, quæ agant, Luc.* 23. *v.* 34. *Cum multi eorum optimè id sciverint? Ioh.* 5. *v:* 22. 24. *Vel* quia milites & similes nescierunt, Christum esse Messiam Deiq́ Filium: *Vel* quia & inter Judæos multi id ignorârunt, & incompletè ac indistinctè aliquid sciverunt, ac suspicati potius sunt, qvàm vt satis nossent. Cum temporale regnum omnes de Messia somniarent, quod in Christo non videbant, de spirituali pauci cogitabant, & Nazarethanum Christum æstimabant, Cum Messias Bethlehemi nasci deberet? *Confer Act.* 3. *v.* 17. 1. *Cor.* 2. *v.* 8. 13. *Cur talem titulum cruci imponi curavit Pilatus?* Vt causam aliquam accusationis & supplicii prætexeret, quam cruci ex more Romano & Judæo publicè affigeret: Et Judæos pungeret, quòd ad eum occidendum se irritassent, quem paulò ante ut regem in urbe excepissent. Vnde & mutari titulum Judæorum petierunt

nierunt. Pungi enim isto se sentiebant. Publicum etiam innocentiæ Christi & prouidentiæ divinæ testimonium extare debuit. 18. *Cur tribus lingvis scribi jussit?* Vt ab omnibus Hierosolymis tùm degentibus legi & intelligi posset, Cum ex *adultioribus* nemo esset qui non unam ex illis lingvam calleret. *De ordine lingvarum* varia contenduntur. Sed incerta sunt omnia. Videatur *Baronius in Annal. & Casaubonus*, ex 16. *n.* 86. *aliiq.* 15. *Cur de vestibus Christi dividendis milites ita soliciti?* *Vel* ludibrii causâ, quia putati Regis vestes essent: *Vel* quia sorte magis ad unum omnes derivari voluerunt, quàm ut in partes sectas inutiles vsui eas redderent. Et prophetia *Davidis* de sorte sic inplenda fuit. 16. *Vnde alteri latroni tanta pietas, vt alterum de convitijs reprehendat, Christi innocentiam defendat, eum regem fateatur, & in regno ejus esse desideret?* *Vel* ex miraculis & concionibus Christi hausit, *Vel* pœna temporali, *vel* extraordinario exemplo ad agnitionem ductus est, vt & hic Crucifixio Christi miraculo aliquo illustretur.

48. 17. *Qvalis obscuratio solis, pendente Christo in cruce facta? Omninò præternaturalis.* Nam & universalis super totum terrarum Orbem fuit, non super solam Judæam, vt *Origenes & Perkinsus* volunt, *Matth.* 27. *v.* 45. *Marc.* 15. *v.* 33. *Luc.* 23. *v.* 44. Qualis naturaliter non contingit: *Et* tribus integris horis duravit, & plenilunij tempore contigit, cùm nouilunii vsitatè eclipses solares contingant: *Et* tùm temporis vsitatè Ordinaria eclipsis Lunæ in plenilunio in Judæâ contigit, quali tempore nunquam simul Eclipsis solis contingere solet: *Et* ratione gradus tàm intensa fuit, vt per tenebras diem obscurantes ipsas stellas in cœlo videre licuerit, quod frequenter etiam non fit, & inusitati quid esse solet, cum fit. 18. *Quo fine acetum Christo in cruce datum?* *Quidam* pro spiritu reficiendo, halitu tetro ex cadaverib. amouendo, sangvine egerendo, aut concretionem ejus prohibendo, vel alioquin Christo commodando, datum putant, vt *Baronius, aliiq.* *Rectius* Christo in siti, quam se pati clamârat, pro potu sumendo ministratum dicitur, ut immanem animum crudelitate ista pleniùs Crucifixores exsatiarent. Vnde inter querelas & hoc â Prophetâ prædictum, *Psal.* 69. *v.* 22. Nec hic deliciarum quidquam cogitandum. *V. t.* 44. 19. *Quomodo ex hyssopo tantus baculus, vt aceti spongia Christo porrigi in eo potuerit,* Joh. 19. *v.* 29. Cum exiguus frutex ille sit? Variè vocem reddunt interpretes. In Judæâ ad majorem quantitatem crescere potuit,

potuit, unde arboribus connumeratur, 1. *Reg* 4. v. 33 & à *Josepho* inter arboris species recensetur *l.* 8. *Ant. Jud.* C 2. Sic & sinapi ejus quantitatis ibi, ut aves in ramis ejus quiescere potuerint. *Marc.* 4 v. 32. Quòd in Germaniâ non fit. Vnde baculus arundineus ad spongiam porrigendam ex hyssopo sumi potuit. 20. *Quomodo unâ nocte & dimidio circiter die tot ac tanta in passione Christi geri potuerunt, quot ab Evangelistis descripta sunt?* Quia per calorem ac furorem Judæorum universa hæc gesta, eoq; brevi spatio confecta fuerunt. Voluerunt Judæi sæpè Christum interficere, sed impediti fuerunt. Nunc cum occasionem occidendi nacti, omni modo & ratione eâ uti intenderunt, ne ullâ viâ manibus eorum Christus elaberetur, ac è morte liberaretur. *Morte enim omnia finem habitura cum Christo existimabant.* Et quæ per furorem geri solent, celeriùs expediri notum est. *Furor enim arma ministrat.* 21. *Quomodo mors in Christo locum habuerit, cum pœna peccati sit, quæ in Christo locum non habuit, Esai.* 53. v. 9. 1. *Pet.* 2. v. 22? Quia nostram personam ut sponsor, intercessor, ac Mediator, in se suscepit, luere & ea debuit, quæ nos debebamus, inter quæ mors, ut stipendium peccati, *V. Rom.* 5. v. 6 8. *Gal.* 3. v. 13. Et moriendo mortem superavit, ut magis mors in Christo sit mortua, quàm Christus in morte. Resurrexit enim à morte, Vt in *Paschalibus* docebo. *Plura de morte Christi quæri solent, Vt, An* pro omnibus hominibus, etiam impijs & pereuntibus, actu præstita? *An verum* λύτρον & pretium, quo redempti sumus, nostri loco à Christo Patri solutum fuerit, an nostro bono tantùm, & quo à peccatis ampliùs non patrandis empti simus, nostroq; vitæ & morum exemplo à Christo suscepta? *An & pro* incredulitate finali Christus morte satisfecerit? Et quæ alia, *alibi* expedienda.

49. Ita & *quæ in cruce passus Christus*, fuerunt, & sic *Realia passionis universa* fuerunt: Sequuntur *Verbalia, ubi verba & locutiones occurrunt à Christo in passione usurpatæ.* Talia 7. sunt, quæ vulgò septem verba Testamenti Christi in cruce, nec immeritò, dicuntur. 1. Remitte illis. 2. Ecce filius tuus & mater tua 3. Hodiè mecum in Paradiso eris. 4. DEus meus, quare me dereliquisti. 5. Sitio. 6. Consummatum est. 7. Pater in manus tuas Spiritum meum commendo. De quibus pleniùs alibi agendum erit. Hic tractatorum de realibus satis deducendum fuit. Videantur *D. Gerhardi harm. passionis, D. Affelmanni duplex disputatio, D. Meisneri d.* 37. *Christolog. aliiq; Scriptores Concordiæ Evangelicæ & Commentatores in* 4. *Evangelia.*

50. Sic *Passio ipsa fuit cum connexis suis.* Seqvuntur *Consequentia ejus*, quæ tempore mortem & passionem consecuta sunt. Suntq; *propinquiora & remotiora. Propinquiora*, quæ non ita diu mortem ipsam in cruce consecuta sunt. *Suntq; veli in templo scissio, Centurionis Confessio, Lateris Christi apertio, sangvinis & aquæ ex eo effluxio, Monumentorum apertio & mortuorum resurrectio, ingens terræ commotio, sepultura Christi, & resurrectio. De quibus* sequentia quærentur. 1. *Veli scissio qualis & quàm prodigiosa?* Duo erant in templo vela, exterius, quod atrium à sanctuario, & interius, quod sanctuarium à sancto sanctorum discernebat. Interius hic intelligendum, quod findi ingens miraculum fuit, Cum 4. digitis densum esset, & per id ea, quæ nulli videre licerent, sponte omnibus paterent, vt arca, Cherubini, &c. Ac politiæ Judaicæ finem fore, umbrasq; V. T. universas impletas esse, & ex Judæis ac gentibus unam Ecclesiam associandam esse significavit. 2. *Terræ motus quantus?* Horribilis, Nam & Hierosolymis varia concussit; & in Asiâ urbes 12. evertit, ut ex Scriptoribus sub Tiberii tempore patet, ut *Tacito 2. Ann. C. 7. alijsq;*. Signum fuit divinæ iræ, Christi innocentiæ, Christi cum Sathanâ pugnæ, & propagationis doctrinæ Evangelicæ brevi per totum orbem futuræ. Quousq; in terrâ sese extenderit, incertum est. *Didymus & Orosius* universalem super totam terram fuisse putant. Alij particularem censent. 3. *Petrarum fissura qualis?* Etiam horribilis, & ex terræ motu ortum habuit, Inprimis Calvariæ montem occupasse putatur, ut *Adrichomius alijq;* testantur. Etiam signum, & testimonium, ac obstinationis Judæorum accusatrix fuit.

51. 4. *Sanctorum resurrectio qualis, & an iterùm mortui illi?* Et hoc ingens miraculum fuit, quòd virtute mortui Christi monumenta aperta sint, & corpora sanctorum *post resurrectionem Christi* inde prodierint, ac multis apparuerint, *Matth.* 27. v. 53. Quibus de resurrectione Christi testari debuerunt. Fideles V. T. haud dubiè fuerunt, ut Adam, Abraham, Isaac, Jacob, David, alijq;, & fortassè quidam sub N. T. ut Simeon, *Joh.* Baptista, Zaccharias. Nec iterùm mortuos esse credibile est, sed cum Christo in cœlos ascendente cœlum ingressos esse, tanquam Christi comites, ornamenta, spolia morti & inferno detracta, & gloriæ ejus spectatores ac participes. Vt *alibi* docetur. 5. *Cur ad mortem accelerandam facinorosis crura fracta, non strangulatio aut confossio adhibita?* Ut ex acerbo dolore sentirent, non beneficii loco mortis acceleratio-

nem si

nem sibi contingere, Et quia sangvine effuso facilius mors consequitur, ac genibus vitalitas quædam inesse putatur, ut illis fractis aut perfossis Spiritus fugiat, ut *Plinius l. 11. N H. C 45.* tradit. 6. *Cur Christo os nullum fractum?* Vt impleretur Scriptura *partim* typica, *Exod. 12. v. 47. partim* Prophetica, *Zach. 12. v. 10.* Et jam obierat in cruce Christus, ut ad accelerandam mortem ossifragio in illo opus non fuerit. Dicitur quidem *Corpus Christi fractum pro Nobis, 1. Cor. 11. v. 24.* sed *tropicè*, vel distributum in cœnâ, vel in mortem acerbissimam, qualis eorum, quib. crura franguntur, aut qui comminuuntur, esse solet, traditum, quod etiam frangi Hebræis dicitur. 1. *Reg. 13. v. 28. Non propriè*, Vt *alibi* pluribus. 7. *Sangvinis & aquæ è latere Christi effluxio qualis fuerit?* Solus *Iohannes* hoc describit. *Calvinus, Columbus, Perkinsus in seri. caus. salut. T. 1. Op. C 8. & in exposit. Symb. p. 669. aliiq;* naturalem fuisse putant. Sed gravis *Iohannis* asseveratio, C. 19. v. 25. Circumstantiæ omnes, rei ipsius Natura, & veterum consensus præternaturalem fuisse docent. *Non* ex mortuo Corpore sangvis ordinariè fluit, sed concrescit: *Et* pericardii aqua magis ad biliosum humorem, quâm veram aquam accedit: *Nec* aqua cum sangvine simul fluere solet, nec largâ copia, *Nec* distinctè, ut & aqua & sangvis suis metis distincta obseruari possint, quæ omnia sic facta, & notanter tanquam mira â Johanne descripta sunt. Vnde omnia miraculosa hic, & *mysticè* duo N. T. Sacramenta, baptismum & Cœnam, hic fluxus notavit. In *Papatu* sangvinem hunc â Mariâ haustum & collectum ex fabulosis interdùm scriptoribus traditur. Seruari etiam adhuc in terris creditur, & Paschatis die populo adorandus ostenditur. *V. Bielem l. 50 in Can. Missæ.* Sed totum incertum hoc est. *Ex Reformatis quidam* sangvinem in cruce fusum computruisse ajunt, Vt *Calvinus, Sadeel, Erastus, Cureus, aliiq;. Ex Photinianis etiam Smalcius huc inclinat in exam. 157. error. Err. 155.* Sed improbabile hoc est. Non enim corruptibili re redempti sumus, sed pretioso Christi sangvine, qui corruptibilibvs rebus opponitur, 1. *Pet. 2. v. 18. 19.* Et proprius Dei sangvis fuit, *Act. 20. v. 28.* Quem putrefactioni subijcere inconveniens: Nec res corrupta pretium nostræ redemptionis esse potuit, ac corruptionem videre de Christo negatur, *Psal. 16. v. 10. Act. 2. v. 27.* De ejus ergò sangvine, qui integralis corporis Christi pars, similiter negandum erit. Quare eum â Christo in resurrectione receptum credibilius est. 8. *Cur latus Christi hastâ apertum, & quodnam?* Quidam fu-

dam furore militis id actum putant. *Rectiùs* ad explorandam mortis veritatem factum dicitur, ne vivus è cruce deponeretur, aut Josephus specie sepulturæ viuum è cruce auferre velle videretur. Et dextrum latus apertum esse *Bernhardus*, *Bonauentura*, *Ludolphus*, *Innocentius*, *Greg. Nazianzenus aliiq; volunt*, ac hastam per latus contortam ad ipsum Cor penetrasse aiunt, ut illud vulnere petitum fuerit. *Ex Ecclesiasticâ Historiâ* ad consequens mortis Christi referri possit, quòd ex *Josepho Eusebius*, *Hieronimus*, *Baronius*, *aliiq;* allegant, nempe sub passione Christi præsides templi Hierosolymitani Virtutes alta voce exclamasse: *Transeamus ex his sedibus*. Sed manifestus error temporis est, Cum de tempore *excidij Hierosolymitani* id narret *Josephus*, tale prodigium antecessisse, *l. 6. excid.* C. 31. Non passionis aut mortis Christi, ut rectè *Casaubon. ex. 16. c. Baron. t. 93.* animadvertit. *De sepulturâ & resurrectione* quæ disceptantur, in *Paschalibus*, volente Domino, discutiam.

52. *Remotiora Passionis Consequentia sunt, quæ longiùs à morte distant. Suntq; realia & Notionalia. Realia, quæ res gestas, actus, ritus, historias, aut earum analogias concernunt. Sunq; vel vera*, Vt conversatio post resurrectionem cum Apostolis per 40. dies, missio Sp. S. in festo pentecostes, miracula varia in nomine Christi ad confirmationem fidei edita, Martyria, supplicia, ac persecutiones Christianorum variæ sub gentilibus, Arianis, falsisq; Christianis, Acta Pilati ad Tiberium de Christo scripta, de quib. *Casaubon. ex. 16. c. Bar. n. 154. & Baronius ipse ad ann. Chri. 34. n. 227. seq.* Item Ecclesia Caluariæ super ipsam Christi tumbam erecta, Hebdomadis majoris seu pœnosæ institutio, quâ Passio Christi ab antiqua Ecclesiâ recolebatur, *V. Baronium de ann. 34. n. 166. 188. aliosq;*. Et similia: *Vel veri specie à nonnullis recepta. Talia apud Patres, Ecclesiasticos scriptores, Papistas*, permulta, quæ sub veri titulo tradita & recepta, cum reipsâ ficta, dubia, aut superstitione seculorum sequentium introducta sint. Vt, *Impressionem* Calvariæ Christi in rupem factam, quæ nullâ vi aut medio exscindi potuerit. *V. Casaub. c. l. Lanceam* & clauos Christi Româ translatos, ac miraculis claros fuisse, Vnde festum lanceæ & clavorum Christi à *Carolo IV.* institutum, certæq; preces formatæ, quibus erga lanceam utantur: *Faciem* Christi ab ipso in sudarium Veronicæ impressam esse, *Francisco* oranti stigmata à Christo impressa fuisse, Vnde *Iesus Typicus* vocatur, & quæ similia sunt.

53. *Quædam specialiter* hic in qvæstionem veniunt, quæ paucis discutien-

scutienda. 1. *An Helena Constantini Imperatoris Mater Crucem Christi Hierosolymis inuenerit, ac per particulas in Orbem terrarum disseminarit? Ita ex* scriptoribus Ecclesiasticis quidam, Vt *Ruffinus l. 1 hist. Eccles.* C. 8. *Theodoret. l. 1. C. 18. Nicephorus, Socrates, Eusebius in Chronicis, Sulpitius, Paulinus, & ex Patribus Ambrosius, Cyrillus, Hieronymus, aliiq;. V. Bellarm. l. 2. d. imag. sanct.* C. 27. *à Papistis* pro vero hoc tenetur, Vt *Bellarmino c. l. Baronio, Gretsero de cruce, & alijs. Quidã* Constantinum ex clauis frænos & galeas parasse ajunt, quibus in bello securus egit, & *Zach.* 14. v. 20. eò accommodant, *In die illa, quod super froenum equi est, sanctũ domino erit.* Clavum etiam ad tempestatem sedandam in mare Adriaticum projectum fuisse *Greg. Turonensis* scribit. Memorialis gratiâ hæc adhibere licuit: Sed protectionem & efficaciam illis adscribere, superstitionem istis seculis jam obrepentem redolet. *Sed de inventione Crucis res tota incerta est.* 1. *Si crux illa superest*, aut per naturam, aut institutum Christi, aut alienam artem & diligentiam superest. *Non primum*, Lignum enim vile tantisper durare non solet. Nec ex Cedro aliavè præstante materiâ factam probari potest. *V. t.* 45. *Non secundum*, Vbi enim illud scriptum, & unde probatur? *Nec tertium*, Cum nullus Apostolus aut Evangelista meminerit, vbi, quomodo, quando, per qvos, quamdiu, servata sit in tot vrbis & Judææ terræ euersionibus, & Hadriano Veneris statuam in loco crucis disponente, quæ ad seculum Constantini ibi stetit, ut Eusebius, Hieronymus, alijq́; testantur. 2. *Si crucem servari* & inveniri voluisset Deus, haud dubiè primæ & purissimæ Christi Ecclesiæ eam ostendisset, & servandam commisisset, Cum eadem facilitate in persecutionibus seruare eam potuisset, qua Scripturam seruavit. At usq; ad ann. 300. altum de eâ in Veteribus est silentium. 3. *Sozomenus l.* 2. C. 1. *milites ligna* Crucium temerè alia aliò projecisse scribit, ut collegisse ea, aut in uno loco defodisse non sit verisimile.

54. 4. *Eusebius vitam Constantini diligenter describens* nihil de inventione crucis habet, *vt Bellarminus* fatetur, Cum aliàs inventionem sepulchri Christi & visitationem terræ sanctæ ab Helenâ factam commemoret, nec hanc rem, si facta, ignorare, nec tàm insignem præterire potuit. *In Chronico* quidem eius meminit, sed is liber ab adulteratore aut librariis corruptus & nugacissimus est, quod nec *Baronius* negare potest. Et in Græco Codice â *Scaligero* publicato nihil eius reperitur. 5. *De tempore & modo inuentionis* etiam magnus dissensus est. *Platina* ad

 annum

annum 307. *Baronius* ad an. 326. *Alij* aliò referunt. *Ambrosius* in Golgatha, *alii* in loco sepulchri defossam putant, ut *Baronius*. Sed cruces integras cum reis defodere quantus labor & molestia fuerit? Hæ varietates incertitudinem rei arguunt. 6. *Qui rem istam narrant*, omnes suspectæ fidei & supposititij, Vt *Cyrilli epistola*, Constantium Imp. Arianum laudans, & *Ambrosii oratio*, nihil Spiritum & cultum eius redolens, vt rectè *Erasmus* Judicavit, Aut aliàs fabulosi scriptores sunt, Vt *Ruffinus, Paulinus, Sulpitius, Nicephorus, Socrates, & similes*, qui temerarij miraculorum buccinatores sunt, quæ ab aliis audierunt, non ipsi viderunt, & ferax tùm miraculorum ac figmentorum seculum fuit. *Gelasius* scripta *de invent. Crucis* inter novellas reuelationes numerat, & illud *Pauli* commendat, Om. probate, bonum tenete, *ap. Gratianum p. 1. decret. d.* 15. C. 3. 7. *Si omninò* inventa crux, erecta, partes eius dono in orbem missæ, in memoriam passi mortuiq; Christi cum honore teneri & servari potest. Subit enim sensum & mentem motus aliquis, si veram istam crucem, in quâ Salvator pependit, videamus. *Sed cultum religiosum non ad crucem*, ut *Papistæ*, sed Christum, cujus crux fuit, & salutaris ejus passionis actum flectere debemus, & festum Crucis non in ligni honorem, sed mortis Christi memoriam celebrare debemus, *ut alibi pluribus*.

55. 2. *An lignum crucis, si verè superſit, religiosâ veneratione saltem per accidens, relativè, reductivè, & analogicè, quà ad Christum refertur, sit colendum?* Affirmant *Papistæ quidam, Vt Bellarminus, Gretserus, Thomas, Turrecremata, & alij*. Nos negamus, & divinum honorem nulli â DEO alieno tribuendum dicimus, quale quid crux est. Et per accidens, relatiuè, analogicè, cultum religiosum creaturis tribuere, facit per accidens, & relativè idololatras, quod de se dici fortè non libenter patientur. 3. *An & imago crucis eo cultu prosequenda?* Affirmant ijdē, Nos negamus, Et Tr. d. Comm. sanctorum C. 6. *ostendem9.* 4. *An crucis signum in Nubibus sub extremum judicium appariturum sit?* Affirmant ijdem. *Vt Bellarminus c. l. C. 20. Maldonatus & Lapide in cap. 24. Matth. & Patres nonnulli, Origenes, Chrysostomus, Hilarius*, ac de eo signum *Matth.* 24. *v.* 30. *explicant.* Incertum hoc: Ac rectiùs de ipso Christo explicatur ex *Luc.* 21. *v.* 27. & *Marc.* 13. *v.* 26. qui potentiâ & gloriâ præsentiam suam & judicium instans velut manifesto signo declarabit, ac omnibus aliis signis velut extinctis seipsum â cœlo, ut Solem gloriæ, ostendet. *Nul-*

libi

liberalias Crux signum filii hominis in Sacris dicitur, sed *Patres* explicationem istam ex apparitione Crucis Constantini formârunt. *Christus* autem ipse signum dicitur *Luc* 2. *v.* 34. & figuratè per hypallagen Græcis & Hebræis familiarem signum rei pro reipsâ dicitur. Nec quæ *Pareus in cap.* 24. *Matth.* in oppositum adducit, magni momenti sunt. Sic credere in nomen filij Dei 1. *Iohan.* 5. *v.* 13 est credere in ipsum filium *v.* 10. *Ioh.* 3. *v.* 15. 17. 35. *Patres* etiam sæpè Crucem Christi tropicè pro ipso Christo crucifixo sumunt, ut ad *Zacchari.* 12. *v.* 10. respiciatur, ut *Bellarm.* C. 24. *c. l.* concedit. 5. *Liceatne Christiano signo crucis in fronte vel pectore se signare?* In excessu hìc peccant *Papistæ* quidam, qui Spirituales effectus illi tribuunt, *Bellarm. c. l* C. 29. *Gretserus*, *alijq.* *In defectu Reformati quidam*, qui prorsùs otiosum & superstitiosum putant. Tutissimè *medio loco* inceditur, & liber, indifferens, ac utilis ritus esse dicitur, cujus usus in significando, memorando, & monendo fit, non spiritualiter operando, in quo *Betulejum*, *Cassandrum*, & *Hunnæum* ex *Papistis* consentientes habemus, ut *alibi* plurib. docebitur.

56. 6. *Rectène à carnibus vescendis in passionalibus abstineatur, & pisces esitentur, illudq́ ciborum discrimen verè jejunium dicatur, ac Apostolicæ originis & institutionis esse credatur?* Omnia hæc asserunt Papistæ. *V. Bellarm. l.* 2. *d. bon. op.* C. 1. 2. *Becanum, Valentiam, Cotonum, Costerum, aliosq.* Nos negamus. *Nec* verum jejunium *Biblicum* ciborum discrepantia facit, sed abstinentia. Vt *Dec.* 3. *Miscell. disp.* 5. *t.* 10. dictum: *Nec* piscibus & generoso vino famem abigere, verè jejunare est, *nec* ab Apostolis tale jejunium institutum esse probari potest. Nec in N. T. cibos ut licitos, vel stato tempore in Ecclesiâ, utillicitos, novis præceptis & statutis discernere ac prohibere DEI, sed Dæmoniorum doctrina est, 1. *Tim.* 4. *v.* 3. umbræ, elementa mundi, & hominum mandata sunt, *Colos.* 2. *v.* 16. 20. 22. quibus cultus & merita assignare frustra DEVM mandatis hominum colere est, *Matth.* 15. *v.* 9. Et libertatem Christianam in talib. indifferentib. solicitare, aut constringere, Apostolicis præceptis adversum est. *Colos.* 2. *c. l. Rom.* 14. *v.* 3 *seq. Gal.* 5. *v.* 1. Nec quæcunq; egit Christus, nobis imitari necessum, aut concessum est, ut *alibi* plenius tractatur. 7. *Quid de illâ historiâ habendum, quâ Judæum aliquem, Ahasuerum nomine, à tempore Passionis Christi superstitem per totum Terrarum Orbem vagari creditur, & nuspiam quiescere posse, quòd Christo crucem in urbe portanti quietem ante ædes suas, cum præterijsset, non indulsisset? Quidm* pro

vera

verâ habent. Edidit quidam *Chryſoſt. Dudalæus*, *VVeſtphalus*, chartas quasdam ex orali gravium perſonarum narratione conſcriptas, ubi *Paulus ab Eizen* addducitur, qui Ann. C. 1547. Hamburgi cum eo locutus ſit, ac varia, non ſine admiratione, ex eo cognoverit. *Deinde* Anno 75. in Hiſpaniâ ab alijs duob. Viris, Ann. 99 Viennæ in Auſtriâ, Anno 1610. Lubecæ viſum eſſe refertur. Dantiſci etiam olim viſum eſſe tradunt. Apud Saxones ſub an. 1604. ſermonibus eam rem vulgatam fuiſſe *Cluverus in Epitome hiſtor. p.* 759. teſtatur, & ante 400. annos eundem ſermonem penè toto Orbe frequentatum ex *Matthæo Pariſienſi* addit. Dubium tamen eſſe, docere queat' 1. *Silentium Evangeliſtarum*, qui rem tâm inſignem nunquam ita conſentienter præteriisſent, ut non unus eam annotaſſet, ſi facta. 2. *Silentium priſcorum Patrum*, in quibus etiam nil de tàm illuſtri exemplo, cum tamen mira iſtis ſeculis fermè cumulari ſolita fuerint. 3 *Judæus iſte* ultra 1000. annos vitam produxiſſet, quod nec Mathuſalemo, nec ulli hominum conceſſum, cum iſte numerus perfectionis ac Dei, & æternæ vitæ hieroglyphicum ſit, ut *alibi* dixi. 4. *Relationes* hac de re incertæ, ac conjecturis nixæ eſſe poſſunt, velut & de ſimilibus rebus ſæpiùs contingit. Potuitq; Judæus iſte ſimulatoriè omnia agere, bonosq; Viros relatione ſuâ decipere, quod de erronibus talibus non infrequens. Ita interdum quæ de ecſtaticis, & quæ ante hac *de ancillâ Regiomontanâ* ſparſa, fabulæ poſtea deprehenſa ſunt. Sic quidam *Paracelſum* adhuc vivum Saliſburgi detineri, ſed velut in ſomno, fabulantur, *V. Libavium in praxi Alchymiſt. p.* 291. Vbi *& hujus ipſius Judæi* meminit, eumq; *Buttadæum* â nonnullis vocari tradit. Sed totam rem pro fabulâ habet, & ex iis, quæ de eâ tradunt, incertam arguit. Vt, *quòd Judæum* nunquam Hieroſolymam redire potuiſſe dicunt. Sed tamen poſt aliquot ſecula ita deſolatam repererit, vt eam non noverit. *Quod* de locis Orientalibus varia referre ajunt. Sed poſt aliquot ſecula eò reuerſum ea non noviſſe. Et quæ ſimilia ſunt.

58. Sic *Realia Paſſionis Conſequentia* fuerunt. Sequuntur *Notionalia, quæ ea, quæ ab hominum certâ conſideratione ad res adhibita ſunt*. Suntq; *vel æræ Chronologicæ, vel modi quidam loquendi. Aera paſſi Chriſti qualis, facile ex ærâ Nati colligitur, & ex Natalitijs t. 27. patet. Conf. t.* 46. Si verus annus â nato Chriſto 1648. hic præſens eſt, æra paſſi 34. annis minor eſt. Eo enim ætatis anno paſſus Chriſtus, *t.* 46. Vt ſic æra paſſi Chriſti eſ-

sti esset 1614. Si 1650. annus nati Christi hic præsens annus, passi 1616 erit. *Collatio æræ Passionis* ad Olympiades, indictiones, cœterasq; æras quomodo instituenda, ex Chronologis ibi allegatis patebit. Inprimis tractatus *Henrici Philippi de annis Nati & passi Christi, & Christmanni disputatio de die Passionis Christi* conferri possunt. *Modi loquendi sunt nöemata, quibus animi sensa inter doctiores accurratiùs & cōmodiùs proponuntur.* De his *sequentia* quantum ad præsens negotium quæruntur. 1. *Liceatnè Christi mortuum Corpus Cadaver appellare?* Sic *Beza* in primâ editione N. T. *Act.* 2. vertit: sed postea mutavit, & animam substituit. *Rivetus in Psal* 16. *Chamier l.* 5. *d. Christo T.* 2. *C.* 5. etiam ei accedunt, vocemq; defendunt. *Ex Papistis Cajetanus, Nannius, Salmeron, Valentia item T.* 1. *d.* 6. *q.* 2. *p.* 3. *n. ad primum, & T.* 4. *d.* 1. *q* 4. *p. th.* 1. *Ex Patribus Chrysostomus & Theophylactus, Ex Nostris VVeberus de Cœnâ C.* 2. *f.* 4. *n.* 24. *aliiq;* Generaliter vocem pro mortuo Corpore, sensu & ratione destituto, sumendo, usurpare licet, vt Germanico Leichnamb, non Aaß, respondeat. Sic *Prudentius* Christianorum defuncta corpora pigra Cadavera vocat, in hymno, *jam mœsta*: Et *Christus congregationem sui &* discipulorum concursui aquilarum ad cadaver comparat, *Matth.* 24. *v.* 28. *Specialiter, Vt Corpus peccaminosum, vitiosum*, ex jnuasione morbi & putredinis ac subjectione vanitatis corruptum, putrescendum, aut quod omninò putrescere debeat, notat, non: Sic enim nec corrumpi potuit, nec debuit Christi corp9: Et *nec* ratione materiæ, *nec* vnionis, *nec* promissionis, *nec* efficientis proximæ, *nec* finis, corruptionem sentire potuit, *Psal.* 16. *v.* 10. Eoq; nec *Cadauer* jure appellari potest. Et sic quidam *Reformati* commodè se hic explicant, ut *Goclenius prob. Rhet.* 42. *Alstedius in qu. Theol. C.* 26. *q.* 148. *aliiq;*. 2. *An liceat dicere, divinitatem esse passam & mortuam, sed impatibiliter? Sic Patres, & Nostrorum quidam* interdum. Sed Scriptura DEVM passum docet, *Act.* 20. Dominum gloriæ crucifixum, 1. *Cor.* 2. *v.* 8. *Et* Christum carne passum dicit, 1. *Pet.* 3. *v.* 18. C. 4. *v.* 1. Deitatem passam nunquam dicit. Et errori *Theopaschitarum* affine hoc est. Nec Christum quòad utramq; naturam, aut secundùm Deitatem, vel in eâ passum ait, sed carne, 1. *Pet.* 3. & 4. *Christus DEus homo* passùs est, ut Quod, & subjectum denominationis: Sed secundùm carnem, ut quo, & subjectum receptionis. *Deus passionem in carne sensit, cum carne non sensit, ait Fulgentius l.* 3. *ad Trasim.* Confer *Natalitia, t.* 13. Et *d.* 2. *d. Cog. hu. Corol.* 3. 58. 3. *An triduo mortis verus homo dici possit Christus?* Potest, sed *extraor-*

traordinarius prorsus & singularis: in personâ n. filij DEi anima & corpus personaliter unita manserunt, Et sic, quod Verbum semel assumpsit, nunquàm è personâ & personali unione deposuit: Fuitq; anima apud verbum personali nexu etiam in corpore mortuo conjuncta: Sed in naturâ sui â se naturaliter per mortem corpus & anima separata fuerunt, nec in corpore ipso anima per immeationem & informationem fuit: sic enim Physicè Christus mortuus fuit. *V. c. l. d. Cogn. Corol. n. 4. Quales prædicationes, DEVS est passus, Filius DEI & Dominus gloriæ est crucifixus, Verbum vitæ est mortuum?* Non sunt merè verbales, Synechdochicæ, tropicæ, aut per allœosin Nestorianam explicandæ; Sed sunt affirmantes, paronymæ, propriæ, mysticæ, non quòd verum accidens proprium de subjecto ibi dicatur; sed quòd extraessentiale prædicatum paronymum, eminens, extraprædicamentale ac mysticum, & appropriatum. Tàm verè enim DEVS sibi passionem in carne appropriat, quàm verè caro ipsa eam in se recepit, & sensit; *V. t. 57. Conf. Tr. d. Opp. En. f. 2. t. 2. seq.* Verè Filius DEi in assumptâ & sibi propriâ carne est passus, quàm verè Petrus aut Paulus in suâ carne passus est, Quanquàm his caro essentiali modo & habitudine competit, filio DEI personali nexu & assumptione, vt alibi pluribus. 5. *Cur torcularis voce passio Christi adumbretur, Esai. 63. v. 3?* Quia passione sangvis Christo undiq; expressus fuit, ut succus ex uuâ per torcular; Et sangvine suo Christus Diabolum omnesq; hostes pressit & calcavit, velut sub torculari uvæ premuntur. Sangvine n. victoriam peperit, & hostes occidit: Ac gravis afflictio passio ista Christo fuit, velut torcular pressura uvæ esse solet: *Vineam* etiam Spiritualem Christus hic habet, Ecclesiam in quâ torcular ad bonum succum exprimendum esse debet: Sed peccata pro eo in id conjicienda & conculcanda fuerunt, quòd â Christo præstitum, & sub ligno crucis pressus est, ac in peccatis nostris laboravit, *Esai. 43. v. 24.*

59. 6. *Cur calicis & baptismi vocibus enuntietur?* Quia Prophetis frequens est calicis voce iram & furorem DEI describere, *Psal. 11. v. 6. Psal 75. v. 9. Esai. 51. v. 17. Ierem. 25. v. 15. 17. Thren. 4. v. 21. Habac. 2. v. 16.* Hæc ira cum peccatis hominum Christo erat imposita. Et *ut* calice demensum potus addicitur; Sic passionis calice feces iræ divinæ Christo exhauriendæ fuerunt *Vt* amari interdùm potus in calice, sed salutares; Sic passio Christo dirissima, nobis utilissima. *Vt* calix prom-

ptè

pte hauriendus: Sic passio promptè à Christo suscepta, & exemplo ejus à nobis suscipienda, Vnde & Christus tali voce passionem describit, Matth. 20. v. 22: Ioh. 18. v. 11. *Baptismi voce notatur*, quia aquæ apud Prophetas tribulationes notant, *Psal.* 18. *v.* 17. *Psal.* 42. *v.* 8. *Psal.* 66. *v.* 12. *Psal.* 69. *v.* 1. 8. 16. 17. *Psal.* 110. *v.* 7. Quibus ut aquis & fluctibus eluimur, mergimur, lavamur, *Psal.* 107. *v.* 23. *seq.* absorbemur, & involuimur, Quod & in passione Christo contigit. *Inde* & in N. Metaphora illa baptismi frequens est, *Marc.* 10. *v.* 46. *Luc.* 12. *v.* 50. Et ut quidam volunt, 1. *Cor.* 15. *v.* 29. Qvamquam *variè* aliàs locus explicatur. Et ut Baptismus noster in mortem Christi fit, ut omnibus passionibus ejus immergamur & assimilemur, *Rom.* 6. *v.* 3 4. *seq.* Sic appositè ipsa Christi mors Baptismi voce exprimitur, quia eâ nos redempti, DEO conciliati, & hæredes vitæ ex filiis mortis facti sumus. Sangvine n. Christi morte fuso nos ab omni peccato mundati sumus. 1. *Iohan.* 1. *v.* 7. *Heb.* 9. *v.* 14. Pulcrè S. Ecclesia cum S. *Bernhardo*: *In cruore tuo lotum Me commendo tibi totum. Tuæ sanctæ manus istæ, Me defendant IESV Christe, Extremis in periculis.* 7. *An Christo patiente omnes tres Deitatis personas passas esse dicere liceat?* Ita *VVeigelius* delirat *in explicat. scriptorum Pauli Lautensacci*, *p.* 5. 6. 7. *seq.* Vbi *dextram* crucem Patri, mediam filio, sinistram Sp. S. attribuit. Sed contra Scripturam, quæ de solo Christo id enuntiat, *Esai.* 53. *V.* 1 10. 11 12. *Conf. Hebr.* 2. *v.* 14. *C.* 5 *v.* 8. *Gal.* 2. *v.* 19. 20. Et aliàs etiam Patrem & Spiritum S. incarnatos fuisse oportuit, quod de solo DEO verbo Scriptura affirmat, *Joh.* 1. *v.* 14. Nec Scriptura passionem crucis uspiam Patri tribuit, sed à Patre filio impositam docet, *Iohan.* 18. *v.* 11. Et filium ad mortem usq; crucis obediuisse tradit, *Phil.* 2. *v.* 8.

60. Ita & *Consequentia Notionalia* Passionis Christi fuerunt: *Jam* nonnulla *de Causis*, quæ misericordia & justitia Patris, Caritas filii, Occasio peccati, *Effectus*, quæ salus hominum, & omnium spiritualium bonorum unio ac reductio, de quo *t.* 1. nonnulla fuerunt, adducenda essent, Vt & *de Cognatis ac Oppositis ejus*, quæ varij de morte Christi errores sunt, ut cum quidam in totum eam negant, *t.* 2. *Alij* justè Christo inflictam sentiunt, ut *Judæi*, & *Prophyrius apud Augustin. l.* 19. *d. Civ. DEI*, *T.* 3. *pag.* 236. *Alii* irritam eam fuisse censent, ut *Pelagius apud Eundem cp.* 95. *Alii* indè colligunt, non essentialem DEVM Christum

esse,

esse, quòd mori in eum, qui naturâ DEVS, non cadat, ut *Photiniani*, *Catech. Racovi. C. 1. p. 55. Ostorodus C. 6. instit. n. 2. Smalcius l. 1. d. err. Arian. c. Smiglecii. C. 9. p. 70. aliiq.* Vbi diversi respectus confunduntur. Potest is, qui per naturam DEVS est, in carne pati, si eam assumpserit, quòd Scriptura ita de Christo affirmat, *t. 57.* In ipsâ Deitate nemo mori potest, cum simpliciter immortalis, impassibilis, & immutabilis illa, *V. c. l. Alij* blasphemant eam & conculcant, ut Judæi, & qui factis iterùm filium DEi crucifigunt, *Heb. 6. v. 6. Alij* aliter rejiciunt, aut subsannant, & quæ similia esse possunt. Sed cum cognitu ex hactenùs tractatis ea satis facilia sint, hic *discussionis Terminus esto*, & *de Passionalibus Servatoris nostri* hæc inpræsentiarum, in honorem & gloriam ejus, pertractata sufficiant.

Laus, honor, Christo vendito,
Et sine causâ prodito,
Passo mortem pro populo,
In aspero patibulo.




Biblioteka Jagiellońska
stdr0019245